

## PROOEMIUM DE FONTIBUS HUIUS OPERIS.

---

I. Album Academiae Aboensis duobus continebatur voluminibus, uno annos 1640–1817 complectente, altero prius per decem annos continuante, donec academia, Aboa igne misere pervastata, Helsingforsiam migravit. Amborum materiam in se recipiet, quod ejus fieri possit, hic noster liber.

Delebatur autem, ut notum est, funesto isto incendio, una cum innumerabilibus aliis litterarum monumentis, vetustior ille idemque multo amplior Albi codex. Quam historiae Finlandiae litterariae jacturam resarcire conati, par est ut qua via et ratione quibusque adjumentis ea in re simus usi, paulo fusius exponamus.

Quod igitur ad archetypum ita deperditum attinet, prima ejus commemoratio exstat in tabellis sive protocollis, quae vocantur, consistorii academici Aboensis, ubi ad diem 19 mensis Junii a. 1640 quaestori edicitur, ut „matriculam chartarum scapis 8 vel 10 bene colligatis adornandam curaret“. Volumen hoc, „in quod omnium Studiosorum nomina relata sunt“, die proximi 15 mensis Julii, cum academia recens condita inaugurabatur, in solenni pompa gestarunt.

Initia sic posita excipiebant variae consistorii sice deliberationes sive decisiones. Nam professorum (et procancellariorum) nomina ac munera, cum a principio separata matricula consignata essent, inde ab a. 1654 conjunctim cum ceteris civibus academicis in commune quidem volumen, sed primis ejus paginis, inscribi coepta sunt<sup>1)</sup>. Similis fere ratio in matricula vetere nationis Borealium, adhuc superstite, sicut posteriore loco videbimus, adhibita est. Omisimus tamen in hoc libro, ut id statim moneamus, cum professores tum reliquos ministeriis academicis apud nos functos, nisi qui studiorum Aboae jecerunt fundamenta.

Tum de ipsis Studiosus commode statuerunt, ut in margine albi notarentur testimonia discedentibus data<sup>2)</sup>. Quae notationes per se patet, quantopere auctoritatem libri amplificasse putandae sint, inprimis per longius temporis spatium continuatae. Statuta sic aliquamdiu frustrarunt quidem discipuli, quippe qui, insciis rectoribus, musas arbitrato suo saepius linquerent<sup>3)</sup>. Sed huic licentiae sensim, quantum in statutis situm fuit, praecautum est. Quoniam enim longe maxima studiosorum multitudo, non minus exhortationibus superiorum<sup>4)</sup> obtemperans quam temporibus serviens, theologiae operam navabat, anno demum 1663, jussu cancellarii, juribus sacerdotum severissime interdictum est omnibus, qui

---

<sup>1)</sup> Prot. 6.6.1649: „Booken op i kammaren medh förgylt bandh assignerades till Album professorum, der historiarum professor, såsom nu Dn. M. Michaël Wexionius, författar hvars namn och historia korteligen“; 11.10.1754: „Taaltes om Albo professorum, och syhntes inthet vara otienligt, att the skrives in uthi samma book som studenterne, fremst i booken, och Procancellarii fram för andra“.

<sup>2)</sup> Prot. 12.6.1645.

<sup>3)</sup> Prot. 13.12.1643, 20.10.1647, 6.2.1650, 14.11.1660, 1.10.1662.

<sup>4)</sup> Cfr prot. 13.10.1652.

legitimo testimoniu non essent muniti<sup>5)</sup>). Decreverat præterea jam viginti amplius annis antea consilium cathedrale, ut eleemosynas dioecesanarum, quæ vocabantur, ii soli acciperent, qui in numerum studiosorum essent relati<sup>6)</sup>).

Concedat unusquisque, omnia hæc de albo præscripta in academia bene constituta eo magis necessaria fuisse, qui majore illa novitiorum frequentia celebraretur. Verum enimvero crevit in dies numerus eorum adeo, ut qui medio Augusto mense a. 1640 non plures essent quam 44, inter quos 8 dumtaxat Finlandi, ceteri Sueci<sup>7)</sup>), jam exeunte primo rectoratu, quod munus his temporibus annuum erat, catervam juvenum 249 efficerent<sup>8)</sup>. Quot deinceps singulis annis in albo fuerint inscripti, tabula infra allata exhibebit. Omnes omnino academiæ usque ad mensem Augustum a. 1817, quo vetustior ille codex conclusus est, alumnos numero ad 13,000 fuisse, memoriæ traditum est<sup>9)</sup>).

Fidem vero albi hoc maxime pignore obstictam censeamus oportet, quod ipsis rectoribus, non usu tantum vel sententia consistorii, sed lege<sup>10)</sup> etiam injunctum erat, ut omnes rite „depositos“ vel, abrogata a. 1691 depositura, justa gymnasiorum commendatione eum in finem ornatos „in matriculam ascriberent“. In quo officio exsequendo adjutoribus antiquitus usi sunt non decanis solum ordinum academicorum, sed cursoribus etiam, quorum erat „catalogum studiosorum omnium, qui in urbe degunt“, conficere, rectoribus et archivo academiæ tradendum<sup>11)</sup>). Quatenus inspectores et postea curatores præsertim nationum academicarum ejusdem negotii participes essent, infra dicitur. Eorum nulla aperte in constitutionibus academiæ mentio fit.

Cave tamen his nimium adquiescas. Quemadmodum enim in opere quoque ab aliis suscepto et inchoato, ab aliis per longum temporis spatium, nedum per secula, producto plerumque fit, ut nex uno judicii tenore nec æquabili semper cura elaboretur, sic matricula Aboensis tantum avfuit ut omnibus numeris et partibus absoluta esset, ut haud pauca in ea vitia multamque scribentium inconstantiam reprehendant, quibus eam oculis perlustrare contigerit. Cujus rei nonnulla documenta ex aequalium testimoniis afferamus.

Sic auctor harum rerum locuples, rector quondam academiæ decedens Kalm, in programmate<sup>12)</sup> „persuasissimi“ inquit „sumus, valde multos, inprimis superioribus temporibus, in numerum civium academicorum acceptos fuisse, licet nomina ipsorum in albo academico non inserta fuerint“. Gravissima profecto vituperatio, cujus tamen, si non veritatem (quoniam de libro deperdito nil nostre marte assecerare lubet), at verisimilitudinem saltem in catalogo subsequenti multifarie confirmatam videbimus.

Atqui jam tredecim annis ante Kalmium, alia rector i quoque academiæ Leche<sup>13)</sup> in

---

<sup>5)</sup> Prot. 16.4.1663: „Cancellarius .. säger att dee för lösdrijfvere räknas skola ... Dn. Procancellarius lofvade skrifva alla præpositos till der om“.

<sup>6)</sup> Prot. Consist. Eccles. 17.9.1641 (cfr Jac. Tengström in Vita Rothovii p. 180 not.). Nec stipendia academica obtinuerunt studiosi ex Germania vel Suecia, qui in Albo Aboensi non essent inscripti; cfr prot. 16.10.1650. Quid quod in Constitt. academicis (C. 23. § 8) interdicitur „ne quis studiosum non inscriptum in sua mensa aleat“.

<sup>7)</sup> Prot. 17.8.1640: „Pedellerne hafva räknat studiosos, och voro församblade, allenast 44 ... icke öfver 8 landsens infödde befunnos tillstädhes“, – locus memorabilis, quippe ex quo præcipue effici putarint, superioribus temporibus multo plures Suecos quam Finlandos in academia Aboensi studiis dedisse operam; de qua opinione cfr infra p. XIV notulam. Non diu post in iisdem prot. scribitur, d. 12.9: „här är berömligh och anseenligh numerus studiosorum“, d. vero 18.11: „numerus dageligen syntes blifva större“.

<sup>8)</sup> Cfr tabulam p. VI. Affert Jac. Tengström in Vita Rothovii p. 180, ex litteris secretarii provincialis Joh. Rosenschmidt ad P. Brahe m. Febr. a. 1641 missis, verba illum numerum valde confirmantia hæc: „Academiæ väsendet går fort, talet öfver Studenterne är alloredan, som berättas, så när Tryhundrade“.

<sup>9)</sup> Cfr quæ dicuntur p. X.

<sup>10)</sup> Constt. acad. c. 16, § 5.

<sup>11)</sup> Constt. acad. c. IX, § 10 et c. XV, § 1.

<sup>12)</sup> A. 25.6.1773.

<sup>13)</sup> In præfatione Indicis sui (cfr p. secu.) scripta 5.10.1760.

eodem volumine prætermissa questus est, eorumque causas attulit, novis reprehensionibus mixtas. „Dolet“ inquit „quod tam paucis nominibus adscripta est historiola vitæ. Historiolam voco, quia verbis paucissimis comprehensa scopo potuisset sufficere: 1:o nomine patris proprio, 2:o loci nativitatis, 3:o officii, cui postmodum admovetur, 4:o loci habitationes ... Quod autem ea quæ desidero, a plerisque rectoribus, etiam recentioris ævi, neglecta sint, in causa est partim vitium scripturæ, – quidam enim nimis compressæ scripserunt lineas, quidam sesquunciales duxerunt litteras, utrique nihil spatii scripturæ intercalari reliquerunt, – partim quod hac clave<sup>14)</sup> destituti, haud facile nomina quærenda in albo invenire potuerint“.

Alii denique, superiore etiam tempore, quum albo academico duce matriculas nationum conscriberent, ægre tulerunt<sup>15)</sup>, quod „rectores magnifici non ubique nominibus adscriptorum apposuerint nationis, e qua fuerint oriundi, indicium, unde fieri non potuit, quin eadem nomina [in matriculis nationalibus] prætermitterentur“.

En æqualium de codice isto judicia, satis hac vel illa parte severa. Quæ nescio an effecerint, ut ii, quibus postea id commissum fuit, majore circumspectione rem administrarent. Hoc ita factum esse manifesto elucet in posteriore albi volumine, cui multas et valde utiles de vitis vel omnium ibi inscriptorum adumbrationes debemus. Sed prius quoque volumen ex eo fere tempore, cum academia primum festum seculare celebrasset, diligentius quam antea compositum fuisse, inde colligi potest, quod jam nominibus numerisque studiosorum et cum matriculis et cum tabula, quam significavimus, melius videtur conspirasse. Attamen ne ibi quidem, in tanta præsertim exiguitate spatii, memorabilia hominum, nisi fortuito et obiter, perstricta crediderim, indeque factum, ut vitarum apud nos scriptores hunc fontem inspexisse (nominum puta causa) sæpius quam citasse reperiamus. Accedit, quod progressu temporis matriculis singularum nationum magis magisque usu venit, ut de suis aliquanto copiosius loquerentur.

Utunque jam de his existimamus, dubitari nequit, quin vetus illud Aboensium album, si sospes et salvum etiam nunc haberetur, uberrimam nostratium et litteris et stirpibus largiretur lucem. Amissum quæ maxime compensant jam singula deinceps indicanda.

**II.** Felici casu factum est, ut ex incendio et flammis urbis eriperetur Index in matriculam Academiae Aboensis, quem anno 1760, modico libro manu scripto concinnaverat cel. Leche, paulo supra laudatus. Cujus laboriosi sane opusculi præfationem, nomini senioris tunc academiae prof. Scarinii honoris causa inscriptam, in hunc modum exorsus est: „Ne nimium temporis consumere cogantur rectores academici, cum nomina studiosorum in albo academiae nostræ inscriptorum quærere vel lubeat vel teneantur, sub feriis æstivalibus hunc indicem contexui, quia utilis esse volui, etiam quum feriari licuit“. Deinde: „Hos autem qualescunque labores, usui quidem omnium rectorum destinatos Tibi inprimis consecro, domine professor, senior et decus academiae nostræ . . . Utere Tu primus, et deinceps utantur quibuscunque cura est studii genealogici vel qui quaecunque ob causam album nostrum consulere necesse habent. Clavis instar sunt, cujus ope introitus patet in theatrum familiarum Fennicarum, non modo illustrium, sed etiam quamplurimarum haud ignobilium, quæ celeberrimos et nostro et præterito seculo viros produxere“. Tum quæ modo exscripsi addit: „Dolet autem“ cett. Perorans in hac spe inceptum suum ponit: „Jam vero, postquam viam planam effeci regulamque præscripsi, confido fore, ut posteris utilius acceptiusque futurum sit nostrum album“.

Index Lecheanus, detricto involucro vestitus, folia continet 192 formæ 4:æ. Scriptura minuta, sed distincta plerumque et perspicua, nisi quod insertis frequentioribus nonnihil turbatur. Nova enim novi rectores ex albo congerentes nomina, dimidias paginarum partes,

<sup>14)</sup> Indicem suum intelligit.

<sup>15)</sup> Cfr matr. Smolandorum, in principio.

quas prima manus posterorum in usum vacuas reliquerat, sæpe transierunt, nec ordinem litterarum satis accurate servarunt. Indici tabula adjuncta est, in qua et series rectorum inde a primordiis academiæ et numerus studiosorum a quolibet rectore inceptorum, et, quod nostro consilio peropportunum fuit, paginae, quibus in albo singulorum rectoratum initia signata fuerunt, uno in conspectu ponuntur.

Istam equidem tabulam a multis continuatam, quippe ex qua ortum quodammodo ceperit liber meus, quamvis longiusculam, typis exprimendam eo magis duxi, quod etiam per se historiæ academiæ haud parum conducere videtur. Sic igitur se habet, additis tantummodo a me rectoratum numeris:

### **Rectores magnifici, qui in Academia Aboensi fuerunt cett.**

Anno.	Rectorum nomina et munera. . . . .	Inscripti.	Rector.	Pagina.
1640	<b>1.</b> Aeschillus Petræus, ss. Theol. Doct. et Prof. Prim. . . . .	1	249	1
1641	<b>2.</b> M. Mich. O. Wexionius, Polit. et Hist. Prof. . . . .	1	79	11
1642	<b>3.</b> — Sveno Laurentii Vigelius, ss. Theol. Prof. . . . .	1	57	17
1643	<b>4.</b> Ericus Achrelius, Med. et Anat. Prof. . . . .	1	80	19
1644	<b>5.</b> M. Simon Svenonis Kexlerus, Math. Prof. . . . .	1	53	23
1645	<b>6.</b> — Johannes Elai Terserus, ss. Theol. Prof. . . . .	1	56	25
1646	<b>7.</b> — Martinus Stodius, Lingu. Gr. et Hebr. Prof. . . . .	1	56	27
1647	<b>8.</b> — Georg. C. Alanus, Phys. et Bot. Prof. . . . .	1	50	31
1648	<b>9.</b> — Nicol. Laur:ii Nycopensis, Log. et Poes. Prof. . . . .	1	54	33
1649	<b>10.</b> Aeschillus Petræus, ss. Theol. Doct. et Prof. Prim. . . . .	2	64	35
1650	<b>11.</b> Ericus Achrelius, Med. Prof. . . . .	2	63	39
1651	<b>12.</b> M. Martin. Stodius, Lingu. Gr. et Hebr. Prof. . . . .	2	52	43
1652	<b>13.</b> — Georgius Alanus, ss. Theol. Prof. . . . .	2	82	45
1653	<b>14.</b> Mich. Gyllenstolpe, J. U. et Phil. D. et Prof. . . . .	2	57	49
1654	<b>15.</b> Idem. . . . .	3	52	51
1655	<b>16.</b> M. Simon Kexlerus, Math. Prof. . . . .	2	51	53
1656	<b>17.</b> — Nicol. Laurentii Nycopensis, ss. Theol. Prof. . . . .	2	43	55
1657	<b>18.</b> — Abr. Georgii Thauvonius, Phys. et Bot. Prof. . . . .	1	46	57
1658	<b>19.</b> — Martinus Stodius, ss. Theol. Prof. . . . .	3	72	59
1659	<b>20.</b> — Petrus Andreae Bergius, Lingu. Gr. et H. Prof. . . . .	1	82	61
1660	<b>21.</b> Olaus O. Wexionius, J. U. et Phil. D. Leg. Prof. . . . .	1	46	64
1661	<b>22.</b> Enevaldus Svenonius, ss. Theol. D. et Prof. . . . .	1	70	67
1662	<b>23.</b> M. Andreas Thuronius, Phys. et Log. Prof. . . . .	1	81	71
1663	<b>24.</b> Idem. . . . .	2	74	75
1664	<b>25.</b> M. Axelius Kempe, Polit. et Hist. Prof. . . . .	1	70	79
1665	<b>26.</b> Abrah. Georgii Thauvonius, ss. Th. D. et Prof. . . . .	2	83	85
1666	<b>27.</b> M. Simon Kexlerus, Math. Prof. . . . .	3	56	89
1667	<b>28.</b> Olaus O. Wexionius, J. U. Doct. et Prof. . . . .	2	66	93
1668	<b>29.</b> Enevald. Svenonius, ss. Th. D. et Prof. Prim. . . . .	2	50	95
1669	<b>30.</b> Petrus A. Bergius, Gr. et Hebr. Lingu. Prof. . . . .	2	57	99
1670	<b>31.</b> Petrus Bång, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . .	1	48	103
1671	<b>32.</b> M. Martinus Miltopæus, Eloqu. Prof. . . . .	1	58	107
1672	<b>33.</b> — Nic. Tunander, ss. Theol. Prof. . . . .	1	78	109
1673	<b>34.</b> — Jac. Flachsenius, Metaph. et Log. Prof. . . . .	1	70	113
1674	<b>35.</b> — Andr. Petræus, Phys. Prof. . . . .	1	65	116

1675	<b>36.</b>	— Axelius Kempe, Jur. Prof. . . . . .	2	84	119
1676	<b>37.</b>	Elias Tillandz, Med. Doct. et Prof. . . . . .	1	68	125
1677	<b>38.</b>	M. Petrus Laurbecchius, Poes. Prof. . . . . .	1	104	133
1678	<b>39.</b>	Enevald. Svenonius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	3	109	137
1679	<b>40.</b>	M. Joh. Flachsenius, Math. Prof. . . . . .	1	108	143
1680	<b>41.</b>	Joh. Johannis Gezelius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	1	92	147
1681	<b>42.</b>	Ericus Falander, Hebr. et Gr. LL. Prof. . . . . .	1	57	151
1682	<b>43.</b>	M. Jacob. Flachsenins, ss. Th. et Prof. . . . . .	2	83	153
1683	<b>44.</b>	Elias Tillands, Med. Doct. et Prof. . . . . .	2	89	157
1684	<b>45.</b>	Petr. Laurbecchius, Poes. Prof. . . . . .	2	88	161
1685	<b>46.</b>	Enevald. Svenonius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	4	73	165
1686	<b>47.</b>	M. Joh. Flachsenius, Math. Prof. . . . . .	2	78	169
1687	<b>48.</b>	— Daniel Achrelius, Eloqu. Prof. . . . . .	1	114	172
1688	<b>49.</b>	— Sim. Joh:s Tålpo, Phil. prim. et ration. Prof. . . . . .	1	79	177
1689	<b>50.</b>	— Andr. Wanochius, Phil. pract. et Hist. Prof. . . . . .	1	74	183
1690	<b>51.</b>	— Petrus Hahn, Phys. Prof. et Bibliothecar. . . . . .	1	92	187
1691	<b>52.</b>	Jacob. Flachsenius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	3	84	194
1692	<b>53.</b>	M. Matth. Swederus, Jur. Svec. et Rom. Prof. . . . . .	1	93	198
1693	<b>54.</b>	— David Lund, Lingu. Gr. et H. Prof. . . . . .	1	91	203
1694	<b>55.</b>	Petr. Laurbecchius, ss. Th. D. et Prof. Prim. . . . . .	3	100	207
1695	<b>56.</b>	Johan. Flachsenius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	3	91	211
1696	<b>57.</b>	Laur. N. Braun, Med. Doct. et Prof. . . . . .	1	49	216
1697	<b>58.</b>	M. Magn. Steen, Math. Prof. . . . . .	1	73	220
1698	<b>59.</b>	— Torstan. Rudeen, Poes. Prof. . . . . .	1	83	223
1699	<b>60.</b>	— Christiernus Alander, Eloqu. Prof. . . . . .	1	95	227
1700	<b>61.</b>	— Joh. Bernh. Munster, Phil. Pract. et Hist. Prof. . . . . .	1	90	232
1701	<b>62.</b>	— Isaac. Pihlman, Hebr. et Gr. Lingu. Prof. . . . . .	1	76	241
1702	<b>63.</b>	— Laurentius Tammelin, Math. Prof. [+ 10? cfr n. 16] . . . . .	1	79	246
1703	<b>64.</b>	Joh. Flachsenius, ss. Th. D. et Prof. Prim. . . . . .	4	45	251
1704	<b>65.</b>	M. Matth. Swederus, Jur. Svec. et Rom. Prof. . . . . .	2	61	253
1705	<b>66.</b>	— Petr. Hahn, Prof. Phys. et Bibliothecar. . . . . .	2	59	257
1706	<b>67.</b>	— Simon Tålpo, ss. Theol. Prof. . . . . .	2	57	263
1707	<b>68.</b>	Petrus Hjelm, Med. Doct. et Prof. . . . . .	1	47	267
1708	<b>69.</b>	M. Johan. Munster, Phil. Pract. et Hist. Prof. . . . . .	2	54	271
1709	<b>70.</b>	— Laurent. Tammelin, Math. Prof. . . . . .	2	49	276
1710	<b>71.</b>	— Gabr. Juslenius, Log. et Metaph. Prof. . . . . .	1	23	279
1711	<b>72.</b>	— Israel J. Nesselius, Eloqu. Prof. . . . . .	1	39	281
1712	<b>73.</b>	— Andreas Pryss, Poes. Prof. . . . . .	1	52	285
1713	<b>74.</b>	Ingemund. Bröms, ss. Theol. Prof. Prim. . . . . .	1	2	289
1714		. . . . .	—	—	—
1715		. . . . .	—	9	—
1716		. . . . .	—	5	290
1717		<b>Fuga prior.</b> . . . . .	—	7	291
1718	<b>75.</b>	Prorectore Andr. Pryss, Poes. Prof. . . . . .	—	10	293
1719		. . . . .	—	5	294
1720		. . . . .	—	1	—
1721		. . . . .	—	4	295
1722		[Eod. a. „post restauratas musas“ 47, cfr n. 16] . . . . .	—	6	296
1723	<b>76.</b>	M. Herman. Ross, ss. Theol. Prof. Prim. . . . . .	—	55	?

1724	77.	— Sam. Schultén, Jur. Prof. . . . . .	1	73	305
1725	78.	Claudius Ekeblad, Comes, Rector Illustris . . . . .	—	38	309
1726	79.	M. Andr. Pryss, Poes. Prof. . . . . .	2	41	313
1727	80.	Jonas Fahlenius, ss. Theol. Prof. . . . . .	1	58	317
1728	81.	M. Joh. Johannis Thorwöst, Phil. Nat. Prof. . . . . .	1	78	321
1729	82.	— Dan. Juslenius, Theol. Prof. . . . . .	1	87	326
1730	83.	— Algothus A. Scarin, Hist. et Phil. civ. Prof. . . . . .	1	72	331
1731	84.	— Joh. Haartman, Phil. Theor. Prof. . . . . .	1	94	335
1732	85.	— Nicol. Hasselbom, Math. Prof. . . . . .	1	78	341
1733	86.	— Isaac. Björklund, Lingu. Sacr. Prof. . . . . .	1	108	347
1734	87.	M. Henr. Hassel, Eloqu. Prof. . . . . .	1	67	353
1735	88.	Andreas Bergius, ss. Theol. D. et Prof. Prim. . . . . .	1	90	357
1736	89.	M. Sam. Schultén, Jur. Prof. . . . . .	2	97	362
1737	90.	Herm. Diet. Spöring, Med. Doct. et Prof. . . . . .	1	96	367
1738	91.	M. Andreas Pryss, Poes. Prof. . . . . .	3	97	373
1739	92.	— Isaac. Björklund, et Prorect. Spöring . . . . .	2	107	379
1740	93.	— Algoth. A. Scarin, Phil. Mor. et Hist. Prof. . . . . .	2	82	386
1741	94.	Petrus Filenius, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	1	76	390
1742		. . . . .	—	—	—
1743	95.	M. Nicol. Hasselbom, sub <b>altera fuga</b> . . . . .	2	152	394
1744	96.	— Henr. Hassel, Eloqu. Prof. . . . . .	2	96	401
1745	97.	Joh. Browallius, ss. Th. D. et Scient. Nat. Pr. . . . . .	1	97	406
1746	98.	Herm. Dieter. Spöring, Med. Doct. et Prof. . . . . .	2	109	411
1747	99.	Pro-Rector Nicol. Hasselbom, Math. Prof. . . . . .	—	70	416
1748	100.	Algoth. A. Scarin, Phil. Mor. et Hist. Prof. . . . . .	3	78	421
1749	101.	M. Samuel Pryss, ss. Theol. Prof. . . . . .	1	74	426
1750	102.	— Olaus Pryss, Jur. Patrii et Rom. Prof. . . . . .	1	56	430
1751	103.	— Henr. Hassel, Eloqu. Prof. . . . . .	3	63	433
1752	104.	Johan Tillander, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	1	56	436
1753	105.	Carol. Frider. Mennander, ss. Th. D. et Prof. . . . . .	1	72	439
1754	106.	M. Carol. Mesterton, ss. Th. D. et Phil. Theor. Pr. . . . . .	1	73	443
1755	107.	— Carol. Abr. Clewberg, Lingu. Sacr. Prof. . . . . .	1	46	447
1756	108.	— Petrus Kalm, Oecon. Prof. . . . . .	1	68	452
1757	109.	Jacob. Gadolin, ss. Th. D. et Scient. Nat. Prof. . . . . .	1	68	456
1758	110.	Sam. Pryss, ss. Theol. Doct. et Prof. Prim. . . . . .	2	80	461
1759	111.	Olaus Pryss, Juris Doct. et Prof. . . . . .	2	93	465
1760	112.	Johan Leche, Med. Doct. et Prof. . . . . .	1	80	471
1761	113.	Johan Tillander, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	2	63	479
1762	114.	M. Henricus Hassel, Eloqu. Prof. . . . . .	4	69	483
1763	115.	Jacobus Gadolin, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . . .	2	60	489
1764	116.	Car. Mesterton, ss. Th. D. et Ph. Prim. rat. Pr . . . . .	2	86	493
1765	117.	M. Petrus Kalm, Oecon. Prof. . . . . .	2	69	498
1766	118.	— Isaac. Ross, ss. Lingu. Prof. . . . . .	1	65	503
1767	119.	— Martinus Johannes Wallenius, Math. Prof. . . . . .	1	63	509
1768	120.	— Petrus Adrian. Gadd, Chem. Prof. . . . . .	1	67	514
1769	121.	— Johannes Bilmark, Hist. et Phil. Pract. Prof. . . . . .	1	59	521
1770	122.	— Andreas Planman, Phys. Prof. . . . . .	1	64	525
1771	123.	— Henricus Hassel, Eloqu. Prof. . . . . .	5	71	531

1772	<b>124.</b>	Petrus Kalm, ss. Th. D. Oecon. Prof. . . . . .	3	86	537
1773	<b>125.</b>	Jacobus Gadolin, ss. Theol. Doct. et Prof. . . . .	3	103	543
1774	<b>126.</b>	Petrus Adr. Gadd, Chem. Prof. . . . . .	2	74	550
1775	<b>127.</b>	M. Jacobus Joh. Haartman, ss. Theol. Prof. . . . .	1	92	555
1776	<b>128.</b>	— Wilh. Rob. Nääf, Log. et Metaph. Prof. . . . .	1	87	563
1777	<b>129.</b>	— Johann. Bilmark, Hist. et Phil. Pract. Prof. . . . .	2	94	567
1778	<b>130.</b>	— Andreas Planman, Phys. Prof. . . . . .	2	85	574
1779	<b>131.</b>	— Laur. Lefrén, Lingu. Orient. et Gr. Prof. . . . .	1	52	589
1780	<b>132.</b>	Jac. Gadolin, ss. Theol Doct. et Prof. Prim. . . . .	4	115	592
1781	<b>133.</b>	M. Matthias Calonius, Juris Prof. . . . . .	1	83	600
1782	<b>134.</b>	Petrus Adr. Gadd, Chem. Prof. . . . . .	3	96	?
1783	<b>135.</b>	— Joh. Bilmark, Hist. et Phil. Pract. Prof. . . . .	3	92	633
1784	<b>136.</b>	— Laurent. Ol. Lefrén, ss. Theol. Prof. . . . . .	2	46	643
1785	<b>137.</b>	M. Andreas Planman, Phys. Prof. . . . . .	3	96	652
1786	<b>138.</b>	— Henr. Gabriel Porthan, Eloqu. Prof. . . . . .	1	64	666
1787	<b>139.</b>	— Olavus Schalberg, Log. et Metaph. Prof. . . . .	1	92	674
1788	<b>140.</b>	— Salomon Kreander, Oecon. Prof. . . . . .	1	65	685
1789	<b>141.</b>	Carol. Nicol. Hellenius, M. et Phil. D. Phil. Prof. . . . .	1	74	695
1790	<b>142.</b>	M. Johannes Henr. Lindquist, Math. Prof. . . . . .	1	83	711
1791	<b>143.</b>	Gabr. Bonsdorff, Med. et Phil. D. Hist. Nat. Prof. . . . .	1	69	722
1792	<b>144.</b>	M. Petrus Malmström, Litter. Orient. et Gr. Prof. . . . .	1	92	731
1793	<b>145.</b>	Christ. Cavander, ss. Theol. Doct. et Prof. Prim. . . . .	1	60	744
1794	<b>146.</b>	Gabr. Eric. Haartman, M. D. Med. Pract. Prof. . . . .	1	71	753
1795	<b>147.</b>	M. Joh. Bilmark, Hist. et Phil. Pract. Prof. . . . .	4	71	765
1796	<b>148.</b>	— Laur. Ol. Lefrén, Theol. Prof. . . . . .	3	108	774
1797	<b>149.</b>	Gabr. Bonsdorff, Med. et Phil. D. Anat. Prof. . . . .	2	103	796
1798	<b>150.</b>	M. Henr. Gabr. Porthan, Eloqu. Prof. . . . . .	2	71	809
1799	<b>151.</b>	— Jacobus Tengström, Theol. Prof. . . . . .	1	96	821
1800	<b>152.</b>	— Matthias Calonius, Juris Prof. . . . . .	2	114	833
1801	<b>153.</b>	— Olavus Schalberg, Log. et Metaph. Prof. . . . .	2	127	863
1802	<b>154.</b>	Carol. N. Hellenius, M. et Ph. D. Oecon. Prof. . . . .	2	114	880
1803	<b>155.</b>	M. Johannes Gadolin, Chem. Prof. . . . . .	1	104	900
1804	<b>156.</b>	— Gustavus Gadolin, LL. OO. et Gr. Prof. . . . . .	1	110	910
1805	<b>157.</b>	— Andr. Joh. Mether, Math. Prof. . . . . .	1	62	926
1806	<b>158.</b>	— Gustavus Gabr. Hällström, Phys. Prof. . . . . .	1	90	933
1807	<b>159.</b>	— Matthias Calonius, Juris Prof. . . . . .	3	84	950
1808	<b>160.</b>	Gabr. Ericus Haartman, M. D. Med. Pract. Prof. . . . .	2	45	969
1809	<b>161.</b>	M. Gustavus Gadolin, Theol. Doct. . . . . .	2	96	981
1810	<b>162.</b>	Gabr. Bonsdorff, Med. et Phil. D. Anat. Prof. . . . .	3	98	1000
1811	<b>163.</b>	Joh. Gadolin, Chem. Prof. . . . . .	2	107	1015
1812	<b>164.</b>	Gust. Gadolin, Theol. Prof. et Archipræp. . . . .	3	102	1026
1813	<b>165.</b>	Gust. Gabr. Hällström, Phys. Prof. . . . . .	2	74	1039
1814	<b>166.</b>	Jos. Pippingsköld, Chir. et Artis Obstetr. Prof. . . . .	1	99	1047
1815	<b>167.</b>	Joh. Fr. Wallenius, Eloqu. Prof. . . . . .	1	100	1067
1816	<b>168.</b>	Henr. Snellman, Theol. Prof. . . . . .	1	97	?
1817	<b>169.</b>	Daniel Myrén, Juris et Oecon. Prof. . . . . .	1	37	?

Sperabam diu fore, ut ex indice Lecheano<sup>16)</sup> tabulæ allatæ ope album academiæ Aboensis vetus, igne consumptum, penitus reconcinnari posset. Qua opinione ductus et ipse et aliorum auxilio<sup>17)</sup> nomina studiosorum per paginas conquirebam sedulo, conquisita inter rectoratus singulos dispertiebam. Neque dubium est, quin eo modo, addendis ad nomina, ubi fieri potuerit, vitarum adumbratiunculis, argumentum matriculæ maxima vel magna saltem ex parte licuerit effingere.

Sensim vero et stupens fere perspexi, in indice valde multa deesse. Id primum suspicari coepi, quum libello illo millies iterumque millies pervolutato viderem, album mihi cogitatione fingendum esse, cujus singulæ paginæ nomina studiosorum complecterentur aliæ quina tantum, aliæ paene ad octies plura<sup>18)</sup>. Quam incredibilis in tali scriptionis genere varietas! Tum ad novos calculos descendens suspicionem meam plene confirmatam deprehendi. Veluti jam primo rectoratu, teste tabula, 249 inscripti sunt, neque tamen in indice reperiuntur nisi 118. Itidem in ceteris sæpius Ac desiderantur inprimis studiosi, qui prænominibus tantum ipsorum conjunctis cum paternis, at nullis cognominibus, appellati erant; cujus rei ubivis invenies documenta.

An hæc tam crebro iterata prætermissio soli Lecheo imputanda est? Minime vero. Nam multi post eum in eodem libro ut addiderunt, ita omiserunt multa. Atque, ut alios taceam, ipse Joh. Fr. Wallenius, scrupulosus ille vir idemque ultimus<sup>19)</sup>, cujus notationes paginatim citantur, rector academiæ a. 1815–16 in album studiosorum ascripsit 100, sed in indicem, si recte et ordine numeravi, non retulit plures quam 87.

Quid quod summa omnium studiosorum, quæ secundum tabulæ partitiones milia XIII explevit, si singulos in indicem relatos computamus, milia XI et 236 non superat. Quæ ratio inde etiam acuitur, quod in scripto posteriore innumerabiles fere nulla apposita pagina afferuntur<sup>20)</sup>, qui nihilo minus numerum augent. Itaque defectum nominum, quo jam album laborasse comperimus, majorem etiam reddidit ejus index, nostro ceteroquin incepto utilissimum maximæque auctoritatis opusculum. Quæ cum ita sint, peropportune nonnulla alia scripta academica ad superiora supplenda idonea nobis ex incendio dolendo servavit fortuna. Quorum in numero libri manu exarati, quibus „nationes“ sodales suos consignarunt, primum obtinent locum.

---

<sup>16)</sup> Ita eam appello, quamvis similes ad suas usque ætates confecerint P. Kalm in programme 23.6.1766 edito et A. J. Lagus in oratione a. 27.6.1811 habita, qua historia academiæ Aboensis uberrime illustratur. Uterque horum scriptorum de numeris novitiorum a Lechio interdum discrepant. Singulis enim rectoratibus, qui ab annis 1644, 1661, 1662, 1663, 1669, 1678, 1683, 1687, 1696, 1702, 1723, 1737 inceperunt, novitios attribuunt 54 (53), 69 (70), 80 (81), 73 (74), 56 (57), 104 (109), 90 (89), 113 (114), 50 (49), 89 (79), 57 (56), 97 (96), cum Leche numeros afferat, quos parenthesis signo inclusimus. A. 1722 „post restauratas musas“ inscriptos fuisse dicunt 47. Sed magis etiam mirum videtur, quod pro 49, quos L. Lefrén in programme 18.6.1780 ait se „sua manu“ in matriculam retulisse, et tabula et oratio, quam modo commemoravi, numerant 52. Tantillas in rebus minusculis controversias frustra sæpe tentaveris dirimere.

<sup>17)</sup> Id mihi in hac molestissima operæ parte jam a. 1875 naviter præstiterunt amicus mihi a puero, deinde latinarum litterarum in academia nostra decus et lumen e. o. prof. d:r Jul. Fr. Petersen (cujus e vita discessum nunquam non deplorabo), et filius meus Ernestus.

<sup>18)</sup> Ita singulis paginis 1, 4, 5, 9, 11, 12, 33, 46, 116, 198, nomina scripta erant studiosorum, si recte computavi, 16, 5, 6, 20, 27, 32, 31, 30, 35, 38. Paginæ nonnullæ, novis rectoratibus antecedentes, vacuæ erant, veluti 13–16, 38, 42, 101–102, 105–106, 118, 201–202, cett.

<sup>19)</sup> Ultima, ni fallor, pagina, quam ex albo vetere reperi (in rectoratu Wallenii) est 1078, nam quod deinde p. 1086 (ad nomen Joh. Stenii) citatur, id fortuito vel vitiose scriptum putaverim. Duo ultimi eodem albo rectores usi Snellman et Myreen, paginas non notarunt, id quod forsitan documento sit, affixas fuisse chartas aliquot iis, quas a principio in albo colligarant, quod hæc non amplius usui sufficerent.

<sup>20)</sup> Ut Alanus (Urbanus), Cajander (Christ. et Henr.), Calamnius (Jos.), Clementis (Henr.), Collan (Gabr.), Elgh (Sv.), Euræpæ (Jac.), Frisius (Joh.), multi alii. Interdum unus idemque novitius, sed variato nomine, affertur, ut Benedicti Samuel p. 61 et, eadem p. citata, Salomontanus (Samuel Benedicti), Vænerus s. Turonius p. 23 et Thuronius p. 33, Hauhan et Kauhan p. 53, cett.



**III. De Nationibus earumque Matriculis (et Protocollis).** Sicut in antiquioribus Europæ academiis, ita in nostra moris fuit, ut studiosi, exceptis modo nobilium familiarum filiis, secundum natales plerumque regiones, in certas dispartirentur societates minores, nationum nomine insignitas. Eam ob causam album etiam commune, quemadmodum ex indice ejus superstitute colligi potest, patrias alumnorum sive provincias, sive dioeceses, sive paroecias, sive urbes indicavit, id quod opem nequaquam spernendam iis etiam nunc fert, qui de hominibus parum notis aliquid amplius investigare velint.

Societates ejusmodi, suis quasque inspectoribus inter professores electis obtemperantes, Aboa primo, ex decreto<sup>21)</sup> senatus academici a. 1643, habebat novem, Finlandenses tres:

- 1) Aboensium,
- 2) Australium et Borealiū,
- 3) Alandensium, Nylandorum, Ostrobotniensium,

Suecas sex:

- 4) Vestrogotorum et Vermlandorum,
- 5) Vestmannorum et Dalekarlorum,
- 6) Ostrogotorum, Uplandorum, Helsingiorum,
- 7) Sudermannorum,
- 8) Nericorum,
- 9) Smolandorum.

Et Suecorum quidem nationes valde diu, quin immo per totum XVII seculum, magno civium numero claræ, multas, quod horum inter se divisionem attinet, subierunt vicissitudines. Nam Smolandi a. 1653 cum Vestrogotis conjuncti jam a. 1655 suum sibi inspectorem Ol. Vexionium adoptarunt<sup>22)</sup>, at posterioribus temporibus rursus multos „extraneos“ in coetum receperunt, quod revera legibus nationalibus<sup>23)</sup>, quas a Smolandis academiæ Upsaliensis transtulerant, licitum fuit. Contra Vestrogoti, nexu cum Smolandis soluto, Ostrogotis sociati, nationem constituerunt, quæ horum nonnumquam, sed ipsorum plerumque nomine designata<sup>24)</sup>, ita numero civium aucta est, ut cum Smolandica certare posset. Quamobrem a. 1665, cum nova studiosorum universorum dispositione opus esset<sup>25)</sup>, consistorium Suecos in has retulit nationes

- 1) Smolandorum, Calmariensium, Olandorum, Gotlandorum, Hallandorum, Scanensium, Blekingensium,
- 2) Ostro- et Vestrogotorum,
- 3) Vestmannorum, Dalekarlorum, Vestrobotniensium,
- 4) Nericorum et Vermlandorum (cum Dalensibus),
- 5) Stockholmensium et Sudermannorum,
- 6) Uplandorum, Roslagiorum, Gestricensium.

Eam vero descriptionem cogitatione tantum formarunt. Neque enim universæ unquam nationes simul ex universis ipsarum territoriis alumnos Aboæ habuerunt, nec ex quibusdam nisi perraro. Quare adeo mirati sunt consistoriales, cum a. 1672 inde a Scania advenit novitius, ut eum non admitterent, nisi causa tam longi itineris explicata<sup>26)</sup>. Atque inciderunt tempora, quum scribentes vel loquentes partem pro toto nominarent, veluti Vermlandicam,

<sup>21)</sup> Prot. 22.11.1643.

<sup>22)</sup> Prot. 16.11.1653, 24.11.1658.

<sup>23)</sup> Cfr cap. 4 in eorum matricula.

<sup>24)</sup> Prot. 13.4.1670, 19.11.1673, 30.11.1700. — Fuerunt igitur, qui nationem communi nomine *Gothicam* (assumptis etiam Smolandis) appellatam vellent; cfr prot. Smolandorum 13.1.1727 p. 11 et 17.2.1731 p. 39.

<sup>25)</sup> Prot. 11.10.1665.

<sup>26)</sup> Prot. 27.11.1672, affirmat se Upsaliam posthabuisse Aboæ „*efter här skulle vara bättre och lindrigare att upphålla sig*“.

Angermannicam „nationes<sup>27)</sup>, quales per se numquam exstiterunt.

Assiduissime autem academiæ adfuerunt Smolandi ex Vexionia et Junecopia, Ostrogoti ex Lincopia et Norcopia, Vestrogoti et Vermlandia ex episcopatu Carlstadiensis, Vestmanni ex Arosia, Sudermanni ex Strengnesia et Nycopia. Ceterum quo pauciores Sueci temporis progressu Aboam studiorum gratia venerunt, eo potius quasi invitati sunt, ut vel Smolandis vel Vestrogotis, quorum diutius in academia nostra prævaluit et numerus et existimatio, sese ascriberent.

Et ipsæ illæ ex reliquiis omnium conflatae nationes, quæ seculo XVII vergente proximoque ineunte suum utraque<sup>28)</sup> habebat inspectorem, Vestrogotica prof. Rudeen Vermlandum, Smolandica prof. Hahn Smolandum, paulatim ad tantam exiguitatem redactæ sunt, ut a. 1722, sub moderamine prof. Fahlenii Dalekarli, in unius societatis corpus coire necesse haberent. Foedus jam tribus post annis rumpitur<sup>29)</sup>, ita tamen ut a. 1735, cum Fahlenius episcopus designatus esset, et Smolandi et Vestrogoti, jam tum, vel saltem inde ab a. 1722, Sveogoti<sup>30)</sup> nuncupati, eundem sibi inspectorem prof. Hasselbom Vestrogotum, quamvis separatim, eligerent<sup>31)</sup>. Postea, decrescente cito advenarum numero, fieri non potuit, quin a. 1798 duæ illæ in unam coalescerent nationem<sup>32)</sup>, Sveogoticam vel simpliciter Suecam appellatam, quæ, nomine tamen magis quam re, apud nos usque ad a. 1829 viguit.

Quærenti, quare circiter ab initio seculi XVIII studiosi peregrini multo quam antea infrequentiores Aboam venerint, multæ et variæ se offerunt causæ. Quarum haud scio an gravissima habenda sit magis magisque deficiens professorum ex Suecia oriundorum numerus et fama. Haud paucos præterea australium inprimis regni provinciarum, ut Smolandia et Vestrogotia, incolas ad se allicere coepit, quamvis serius inclarescens, Caroli XI ætate condita academia Lundensis. Plurimos denique cum peregrinorum tum nostratium de oris Finlandia depulerunt bella duo cruenta intra primum seculi dimidium gesta, quorum memoriam et eventus „fugæ academiæ“, quas appellarunt, prima a. 1713–22, altera a. 1742–43, lugubre loquuntur. Quocirca mireris justius, quod vel post tales etiam tantasque calamitates, quibus alia mala accesserunt, quisquam ex Suecia musas Auraicas visitavit, quam quod pristina eorum multitudo magnopere celeriterque imminuta est.

Contra Finlandenses nationes, ut erant indigenæ, cum in propinquo fontem ac principium incrementi habuerunt, tum rerum perturbationes patientius tolerarunt. Ex tribus igitur, quas modo diximus, decem vixdum annis præterlapsis, tres aliæ, majore etiam civium numero gaudentes, ortæ sunt<sup>33)</sup>,

- 1) Aboensium, Australium, Borealiæ, Satacundorum,
- 2) Alandensium, Nylandorum, Ostrobotniensium,
- 3) Tavastorum, Savolaxorum, Viburgensium.

Hanc vernacularum nationum paucitatem paucitati studiosorum vernaculorum respondisse censent; eos enim primis academiæ temporibus numero Suecis inferiores fuisse. Inveterata profecto opinio<sup>34)</sup>, at falsa et tota nixa in fortuito primi census academici eventu,

<sup>27)</sup> Prot. 29.11.1700 afferuntur inter „någre nationer“.

<sup>28)</sup> Cfr prot. Smolandorum 21.3.1724 p. 5. 7.

<sup>29)</sup> Cfr prot. Smol. 5.12.1722 p. 1, 10.8.1725 p. 7, 13.10 p. 8.

<sup>30)</sup> Cfr ad a. 1722 matr. nationis (Vestrogotica): „quæ nunc dici coepit Sveogotica“; prot. Smol. 25.9.1728, 13.5.1735 p. 75.

<sup>31)</sup> Cfr prot. Smol. 10.5, 13.5.1735.

<sup>32)</sup> Prot. 27.6.1798. Cfr etiam matr. nationis (consociatæ) Sveog. in init.

<sup>33)</sup> Prot. 16.11.1653.

<sup>34)</sup> Eam jam enuntiarunt Jac. Tengström in vita Rothovii et A. J. Lagus in oratione a. 27.6.1811 dicta, post eos usque ad nostram ætatem omnes, qui has res vel explicarunt vel perstrinxerunt.

cum nostri nondum ex agris in urbem convenissent<sup>35</sup>). Revera non minus ex appellatione et compositione illarum societatum, quam ex indice albi manifesto patet, eo jam tempore pæne ex omni Finlandiæ parte juvenes, qui artes studiaque colerent, Aboam concurrisse.

Nec multo post quorundam tractuum alumni academici adeo numero aucti sunt, ut, conjunctionem deserentes, proprias inirent societates, veluti Nylandi a. 1655 inspectore prof. P. Bergio Sudermanno, et Ostrobotnienses a. 1658 inspectore prof. Ax. Kempe Botniensi<sup>36</sup>). Tum a. 1665 in novo et communi præscripto, cujus supra memini, sex indigenæ nationes constitutæ sunt<sup>37</sup>)

- 1) Aboensium et Australium,
- 2) Borealiæ,
- 3) Satacundorum,
- 4) Alandorum et Tavastorum,
- 5) Ostrobotniensium,
- 6) Nylandorum, Careliorum, Ingermannorum aliorumque ejusdem regionis.

Tandem vero huic quoque dispositioni, cum in singulis parum opportuna videretur, sub fine seculi<sup>38</sup>) aliam substituerunt, qua studiosi indigenæ ita consociati sunt

- 1) Aboenses,
- 2) Australes,
- 3) Boreales et Alandi,
- 4) Nylandi,
- 5) Ostrobotnienses,
- 6) Satacundi,
- 7) Tavasti,
- 8) Viburgenses.

Quæ extrema nationum ordinatio, quamdiu academia Aboæ permansit, servata est, præterquam quod Australes, numero plus plusque imminuti, a. 1813 cum Aboensibus conjuncti sunt.

Crebræ sane, ut exposuimus, apud nos factæ sunt in studiosis tum Suecis tum nostratibus dispertiendis commutationes. Cur autem in primum præsertim academiæ seculum inciderint, eo satis explicatur, quod parvulæ illæ juvenum consortiones vel quasi civitates, quamvis provinciatis, at casu tamen formatæ, in principio arbitrato magis ipsorum atque consistorii<sup>39</sup>) quam certis et definitis superiorum edictis regebantur; namque in legibus sive constitutionibus<sup>40</sup>), quæ vocantur, academiæ nullo loco diserte commemorantur. Quapropter ipse cancellarius academiæ, comes P. Brahe, cum aliquis de ingenti Smolandorum in novitios severitate esset questus, his id tantum castigationis intentare valuit, ut in posterum, nisi

---

<sup>35</sup>) Prot. 17.8.1640. Hic satis habemus numeros aliquot ex albo infra reconcinnato afferre. In primo igitur rectoratu reperire mihi contigit studiosos in scriptis 186, e quibus 93 Finlandos, 70 Suecos, 23 ignotæ patriæ; vel si longiorem temporis seriem mavis, usque ad finem rectoratus quinti 493, e quibus 221 Finlandos, 194 Suecos, 39 ignotæ patriæ; decennio vero præterlapso, in rectoratu undecimo (a. 1650–51), Finlandos 42, Suecos 17, ignotæ patriæ 4.

<sup>36</sup>) Prot. 23.4.1655, 24.11.1658.

<sup>37</sup>) Prot. 11.10.1665.

<sup>38</sup>) Annus mihi excidit, sed enumerantur jam in prot. 27.11, 28.11, 29.11.1700. Deinde etiam in prot. Smol. 25.9.1728. In litteris 10.1.1733 ad cancellarium comitem Arv. Bernh. Horn missis, consistorium ait, jam antiquitus („af ålder“) Finlandenses nationes academicas fuisse 8.

<sup>39</sup>) Quam obiter has res sæpe tractarint, satis e prot. 19.6.1677 elucet: „Rector Magnificus proponerade om 4 Novitiis ifrån Narfven, nu nyligen deponerade, begära hålla serdeles Landskap, emedan Wijborgs Nation är starck, dessuthan äro dhe ifrån annat Stift och Landshöfdingedöme. Res.: Blef dem efterlåtet.“

<sup>40</sup>) Ex iis quod huc referri possit nil reperitur præter paucula illa, cap. 27 §17: „Nationalia conventicula prohibita sunt.“

mores suos emendarent, Finlandorum nationi subjicerentur<sup>41</sup>). Immo vero ne litteræ quidem regiæ, cancellariis et consistorio datæ, per longum temporis spatium de studiosorum societatibus academicis quidquam continent.

Primus regum Sueciæ, qui in has res minutas animum intendit, Carolus XI, litteris a. 19.12.1695 datis cum alia officia tum illud quoque „inspectoribus nationum“ (quæ appellatio in ejusmodi scriptis inaudita antea erat) injunxit, ut indices omnium in eas ascriptorum certis intervallis conficiendos curarent<sup>42</sup>). Quo quidem edicto opus nostrum non leviter tangitur, quippe quod ipsum maximam partem in enumeratione studiosorum chronologica versetur.

Istud vero negotium, ex quo matricularum adornatio mirum quantum pendet, nationum inspectores non minus quam curatores et seniores, etsi nullo unquam tempore prorsus neglexerunt, tamen susque deque habuisse videntur<sup>43</sup>), usque dum jussa illa regis pervulgata sunt. Et inprimis ab ea tempestate, cum academia post „fugas“ tristissimas ad sedes suas reversa, omnibus viribus res suas reficere et ordinare conaretur, severe custodierunt cancellarii, comites Arv. Bernh. Horn, Carol. Gust. Tessin, alii, ut indices nationales in tabulis descripti ipsis quotannis traderentur<sup>44</sup>). Hinc primam originem traxerunt sollennes apud nos „Catalogi Studiosorum“, qui a. demum 1818 typis edi coepti sunt.

Ipsum vero fundamentum, quo plurima et præcipua nationum academicarum jura et officia hodie etiam nituntur, jecerunt litteræ regiæ a. 9.3.1733 et 15.9.1741 datæ. Tunc studiosis cum magna libertas concessa, tum id licentiæ ademptum, ne semel in albo inscripti subinde ab alia ad aliam nationem transirent. Abolitum quoque postea est, etsi valde sero<sup>45</sup>), privilegium, quo nobiles non minus ex illis litteris quam ex consuetudine antiqua gaudebant, ut, si ipsis liberet, apud nullam societatem nationalem nomina sua profiterentur. Haec hactenus.

---

Videamus jam, quid opis nostro incepto tulerint vel pro constitutione sua ferre potuerint sodalitia illa, quorum supra historiolum exposuimus. Neque enim publicis tantum vel aliorum litteris res eorum memoriæ proditæ sunt, sed ipsa quoque de se suisque scripta reliquerunt, matriculas, protocolla, rationaria, alia, quæ magnam partem etiamnunc restant.

Agmen ducant *a)* Boreales, non quo ceteras nationes civium aut numero præcesserint aut laude, sed quia prius quam illæ res suas accuratius composuerunt. Hoc

---

<sup>41</sup>) Prot. 13.2.1675: „Uplästes H:s Excell:tz Riksdrotsens Bref om Studenternas nämbl. Smålandorum grufveliga procedere moot dheras Novitios: att dhe som framdeles kunna hijt anlända måge blifva under finska nationen“ et iterum 29.3, quo die quod senatus academicus decrevit, rem ulterius esse explorandam, non ad effectum adduxit. – Ceterum Smolandis duriores mores sæpius objiciuntur; cfr prot. 15.12.1669, 19.11.1673, 10.9.1684.

<sup>42</sup>) „Ty är äfvenvel vår Nådiga villia att I först förmanen alle professores, som äre Inspectores Nationum, det de . . . låta them, som äldst och lärdast äre uti hvart Landskap, hvart fjerdedels år gifva sig en fö r t e c k n i n g h på them, som vistas vidh eller från Academien, hvad de närvarande den förflutna Terminen i Studierna hafva protiterat“, cett.

<sup>43</sup>) Cfr prot. 26.4.1654: „Då bleff omtalt at Inspectores . . . antecknandes huru monga aff hvart Landskap här under Acad. finnes, att man finge C a t a l o g u m på heela coetum, som sedhan Acad. Cancellario kan præsenteras; 27.9.1665: „Vidare sade Lithomannus, att han var utesluten utur den C a t a l o g o, som lefvererades åt Pro-Cancellario på Nationerne. Dn. Ljungbergius svarade föratan honom vore ochså andra i förgätenhet ställda, hvilka sedan insattes“; 24.4.1672 procancellarius sibi expostulat „C a t a l o g u m S t u d i o s o r u m, emedhan han känner dhem intet, när de sökia blifva präster“; 28.10.1678; cett.

<sup>44</sup>) Cfr inprimis litt. Canc. 20.4.1733, 5.11.1748, 26.2.1754, 22.1.1760, 28.12.1782; litt. colleg. Canc. 30.6.1761; prot. 19.4.1760, 23.6.1768 § 8, 22.12.1769 § 11; cett.

<sup>45</sup>) Etiam litt. Reg. 14.7.1792, quæ multa de his rebus continent, studiosis nobilibus suadent potius quam jubent, ut apud nationes nomina sua edant: „Studierende af Frälseståndet böra äfven i Academiens matrikel inskrifvas samt med tjenliga föreställningar förmås att ingå i någon Nation, för den nytta de dermed kunna hafva“. Quin immo Aboæ a. 1824 semestri verno 2, auctumnali autem 7 studiosi nobiles nulli Nationi ascripti erant, sicut in catalogo typis edito diserte dicitur.

autem probabiliter colligi potest ex iis, quæ matricula ipsorum p. 10, ubi inspectores nationis enumerantur, refert hunc in modum: „Primus omnium, qui instrumenta necessaria (utpote leges, pyctatium hocce, protocollum itidem in folio et rationarium in 8:o) eaque non sine labore et cura in ordinem, quantum excogitare licuit optimum, redegit et disposuit a. 1685 mag. Andreas Aeschilli Petrus ss. theologiæ prof. ordinarius“. Antiquior saltem nulla ad nostram ætatem mansit studiosorum academia Aboensis matricula, ab ipsis composita. Reliqua scripta Borealium nationalia perierunt.

Quod ad matriculam attinet, liber est formæ maxime, foliorum circiter 150, quorum tamen magna pars vacua. Interiore tegumenti latere hæc annotavit curator Joh. Johannis Liljevahn: „Pyctatium Alandensium, Vemoensium, Maskuensium præpositurarum, nec non Raumoensium, Neostadiensium et Nunnedalensium civitatum“. In quo ne suspiceris falso dictum, quod territorium nationis finibus non prorsus iisdem circumscribitur ac provincia Finlandia Borealis, addita sola Alandia. Namque oppidum Raumo et paroecia Lappo ditiois sunt, ut fuerunt, præposituræ quidem Vemoensis, sed provinciæ Satacundiæ. Et altera præpositura Borealis, appellatione tantum Virmoensis pro Maskuensi substituta, veteres suas paroecias hodieque retinet.

Qui matriculam inchoavit (continuarunt autem multi) curator nationis Liljevahn<sup>46</sup>), minimam ejus partem videtur perfecisse. Neque enim ab eo scripta crediderim, nisi initia capitum, quæ ipsi enumerationi studiosorum, quasi ingressionis vice, præmittuntur. In iis series affruntur primum Regum Sueciæ inde ab academia condita, deinde Cancellariorum et Procancellariorum academia, tum Inspectorum Curatorumque nationis<sup>47</sup>). Ad hæc tabula adjicitur, quam inscripserunt „Accessus et recessus cum symbolo cujuscunque“, valde illa tamen manca, utpote qui nomina tantum novitiorum quorundam a. 1670–88 in matricula inscriptorum refert.

Sequitur denique, post folia aliquot vacua, p. 34–320 „Catalogus Studiosorum Borea-Finlandorum et Alandensium ab inauguratione academia 1640“, quem gradatim usque ad a. 1846 prodixerunt. Gravissima hæc et longe amplissima matriculæ sectio per rectoratus academicos, ut in tali argumento plerumque fit, composita et deducta est. Et nomina quidem universa rectoratui Dav. Lund (a. 1693) anteposita ex ipso albo academico excerpta videntur. Cui fonti quominus debeantur, id minime impedit, quod inter eadem haud pauca reperias in indice Lecheano desiderata (veluti in primis quinque rectoratibus 15 ex 30), cum hic, ut antea monuimus, permulta ipse omiserit. Uno certe ductu, ut dicitur, una eademque manu scripta sunt. Accedit, quod deinceps, præsertim vero post „fugas“, scriptura libri multum variat, quandoquidem nomina studiosorum exarasse patet nunc ipsos, vicissim autem inspectores vel curatores nationis.

Nec vero a proposito alienum duxerunt talia passim attingere, quæ universam aeademiam simulque res privatas nationis respiciunt. Veluti promotiones facultatis philosophicæ singillatim commemorant, si qui e numero Borealium iis magistri creati sunt. Tum de calamitosis fugarum temporibus nonnulla adumbrarunt.

Matriculam Borealium diligenter in plerisque confectam esse et re probatur et summo jure exspectare licet, cum societati eorum præfuerint inspectores litterarum historiæque non

---

<sup>46</sup>) Ipse in eadem, supposito numero 138, inscriptus.

<sup>47</sup>) Inspectores nominantur: 1685 Andr. Petrus, Joh. Flachsenius, 1694 Chr. Alander, 1704 Is. Pihlman, 1708 Gabr. Juslenius, 1723 Dan. Juslenius, 1735 Henr. Hassel, 1778 Henr. Gabr. Porthan, 1804 Gust. Gadolin, 1825 Fr. Vilh. Pipping. Curatores: Joh. Liljevahn, Conr. Quensel, 1704 Dan. Juslenius, 1708 Joh. Walstenius, 1710 Salom. S. Alanus, 1711 Chr. Pihlman, 1723 Sam. Hornæus, 1729 Joh. Fridelin, 1732 Joh. Welin, 1738 Matth. Hallenius, 1743 Chr. Welin, 1744 Engelb. Rancken, 1746 Jac. Gadolin, 1748 Joh. Laihiander, 1749 Joh. Elenius, 1754 Gust. Bång, 1756 Mart. Tolpo, 1757 Joh. Pihlman, 1760 Joh. Car. Nycopensis, 1764 Joh. Ström, 1765 Henr. Alanus, 1792 Gust. Gadolin, 1795 Nic. M. Tolpo, 1809 Fr. Vilh. Pipping, 1815 Is. Udalr. Wallenius, 1817 Matth. Kalm, 1833 cett.; quibus saltem addi debet 1728 Joh. Sciurenius (cfr. prot. Smol. 25.9.1728).

amantissimi solum, sed auctores quoque celeberrimi, Dan. Juslenius, Henr. Hassel, Henr. Gabr. Porthan, Frid. Vilh. Pipping, alii. Nam horum præcipue curis haud dubie debemus permulta, quæ illo in libro de vitis studiosorum accuratissime narrantur, quamquam moleste ferendum est, quod in tempora fugis antiquiora valde parce inquisiverunt. Dolemus etiam, in hoc rerum statu, paucitatem civium, quæ fuit, dum academia Aboæ viguit; etsi enim pro tantillo nationis territorio bene multi, omnino tamen per tot ætates non plures quam 1042 novitii matriculæ Borealium nomina sua dederunt, e quibus 971 usque ad a. 1817, quo album vetus indexque Lecheanus desinunt, reliqui usque ad a. 1827, academiæ Aboensis ultimum.

*b) S a t a c u n d e n s e s* duo, quæ ad nostrum argumentum spectant, scripta posteritati reliquerunt, matriculam atque codicem accepti et expensi, ambo a. 1724 incepta. Hunc ut statim describamus, libellus est formæ 4:æ, Suecum titulum præ se ferens: „*S a t a c u n d a N a t i o n s F i s c i R ä c k n i n g å h r 1 7 2 4 u p r ä t t a t, s e d a n d e n f ö r r a u n d e r f i e n d t l. ö f v e r v ä l d e t t i l l i k a m e d F i s c o o m k o m m i t*“. Ita cur tam sero componi coeptus sit, ipse profitetur. Ad annos refertur 1724–86, multaque nomina continet novitiorum, simul indicans, qua quisque die vel in numerum studiosorum receptus sit, vel fisco nationis tributum legitimum pependerit. Quibusdam locis haud sine fructu ad ipsam matriculam supplendam adhiberi potest.

*Matricula* autem duobus constat voluminibus formæ maximæ. Eorum prius octo foliis varia decreta ex actis partim consistorii, partim ipsius nationis exscribit; tum foliis 9 et 10 inspectores et curatores enumerantur<sup>48)</sup>. Postrema nostra ætate addita sunt.

A folio 12 catalogum studiosorum exordiuntur hac inscriptione: „*N o m i n a e o r u m q u i e x N a t i o n e S a t a c u n d e n s i t a m S u p e r i o r i q u a m I n f e r i o r i, p o s t s o l e n n e m A c a d e m i æ A b o e n s i s i n a u g u r a t i o n e m, q u æ a. 1 6 4 0 c o n t i g i t, i n s o c i e t a t e m a c a d e m i c a m s u n t r e c e p t i, s e c u n d u m i l l a m s e r i e m, q u a s u b u n o q u o q u e R e c t o r a t u s i n g u l i s a n n i s i n a l b u m S t u d i o s o r u m s u n t r e l a t i, s i m u l f a c t a m e n t i o n e q u o n o m i n e i n c l a r u e r u n t e t q u æ m u n i a o b i e r u n t, n e c n o n q u a n d o e v i v i s e x c e s s e r u n t, p r æ s e r t i m d e q u i b u s i d c o n s t a r e p o t u i t*“. In folio averso (quod mireris) notatio paginarum incipit, quæ summam efficit 177.

Volumen a. 1724 non solum scribi coeptum, sed „emptum“ quoque fuisse<sup>49)</sup> tegumenti interiore parte indicavit æqualis aliquis, antiquiore scilicet matricula in bello deperdita. Sequitur ideo, ut hoc exemplar archetypum, nisi ab illa ferme ætate incipiamus, esse nequeat. Quis vero paginas circiter ad tempora primæ fugæ progressas ex albo academiæ communi descripserit, nescimus. Curatorem vel senioremem quendam nationis fuisse conjicio, fortasse Is. Rothovium. Plures deinde manus e ductu litterarum, passim valde neglecto, cognoscere possumus. Haud pauci sua ipsi nomina consignarunt, quod præcipue circa medium seculum videtur in consuetudinem venisse.

Omnino in hoc volumine memoriam Satacundensium 1378, annis 1640–1808 in civitatem academicam receptorum, colligarunt. Quod tanto apud posteros acceptius factum, quanto sæpius index ille Lecheanus, nescio qua incuria, alumnos hujusce nationis præteriit, quandoquidem, si hoc exemplum sumitur, non minus quam 11 Satacundenses ex universis 32, qui a primis quinque rectoribus in album relati erant, prætermisit.

---

<sup>48)</sup> *I n s p e c t o r e s* hunc in modum: Sim. Paulinus [† 1691], 1735 Andr. Pryss, 1748–56 Sam. Pryss, 1780 [4.11.1768 sec. prot. consist.] Jac. Gadolin, Joh. Henr. Lindqvist, 1797–1828 Gust. Gadolin, quibus addi debent Andr. Petræus (cfr prot. 11.10.1665), Joh. Flachsenius (cfr prot. 29.11.1700). *C u r a t o r e s*: 1728 Is. Rothovius, Gabr. Fortelius, Gust. Nic. Polviander, 1738 Mich. Thomæ Forselius, 1740 Andr. Matthiæ Elg, 1741 Joh. Carol. Hacks, 1749 Henr. Henrici Lilius, Gabr. Israelis Hartman, Er. Henrici Lencqvist, 1751–55–58 Ax. Joh. Grundstroem, 1752–53 Andr. Achander, 1756 Dan. Erici Lithander, Gabr. Welonius, 1756–60 Joh. Gabr. Bergman, 1760–80 Gust. Fredr. Wialenius, 1781 Isaac. Eneberg, 1782 Joh. Utter, 1786–91 Jac. Joh. Lagerström, 1792–99 Joh. Sundvall, 1800–17 C. R. Sahlberg.

<sup>49)</sup> Quod rationario fisci confirmatur, ubi ad d. 21 Martii 1724 legimus: „*U p k i ö p t e s e n n y m a t r i k e l o c h d e n n a b o o k, 2 r d r. 8 s k.*“.

Posterius autem matriculæ volumen, qua parte huc pertinet, annis 1809–27, Satacundenses comprehendit 275, e quibus 115 usque ad a. 1817, ut totus eorum numerus, dum academia Aboæ mansit, amplius 1650 explerit. Vitarum tamen descriptiones in utroque volumine, præsertim vero in priore, et rariores sunt et breviores quam in matricula Borealium, cujus supra fecimus mentionem.

c) *Smolandicæ nationis* in academia Aboensi tria etiam nunc supersunt actorum volumina diversi argumenti. Cuncta ex aliis, quæ perierunt, refecta. Nam si ipsis credimus, res suas ea societas de primo diligentissime curarat litterisque mandarata, quarum tamen commentarios longi et atrocis belli tempestas disjecit et delevit. At redintegrata pace, amissa, quantum fieri potuit, redintegrarunt. Inde originem ceperunt volumina illa residua; eorum unumquodque formæ est maximæ corioque firmiter et belle compactum.

Primum tabellas confecerunt, titulo hoc apposito: „*Småländska Nationens Protocoll . . . ifrån Academiens i Åbo restauration*“. Quo in libro quoniam haud pauca et de rebus et de hominibus horum temporum memorabilia leguntur, alibi non relata, non possumus non ægre ferre, quod a. 30.11.1722 inchoatus, jamjam a. 27.7.1749 finitur. Omnino ita compositus est, ut qui typis mandetur non prorsus videatur indignus. Nostrum singillatim in usum novitiorum ad academiam accessus, examina, testimonia discedentibus data, cetera id genus subinde profert.

Secundo loco nominandus „*Räkningz Book öfver Småländska Nationens Inkomster och utgifter, påbegynt och fortsatt ifrån år 1723*“. In a. 20.10.1781 continuatus, ad similitudinem rationarii Satacundensis, de quo brevi ante diximus, proxime accedit. Pro utili supplemento tam matriculæ nationalis, quam albi academici haberi potest.

Ipsa matricula, quam p. prima tota pulchre depictum „*Insigne Ducatus Smolandicæ*“ ornat, cujusque in fronte hæc efficta est inscriptio: „*Album Studiosorum Smolandicæ Nationis ad inclutam Academiam Aboensem adscriptorum, redintegratum atque inde ab æra restaurationis ejusdem Academiæ, in annum . . . 1722 incidente, studiose continuatum*“, foliis circiter 150 absolvitur. Quorum tamen maxima pars quia scriptura caret, inde apertum est, auctorem ejus plura sibi proposuisse, quam vel ipse vel posteri perfecerint. At hæc cujusmodi fuerint ex p. 3 elucet, in qua rubricam solam reperimus hanc: „*Leges atque decreta nationalia*“, vacuis 9 foliis exceptam. Simillima igitur scriptor in principio moliebatur iis, quæ Satacundenses sua in matricula revera protulerunt. Satis deinde habuit p. 23–40 ad communem suorum usum transcribere „*Regulas*<sup>50)</sup>, quas Societas Studiosorum Smolandensium in Academia Ipsaliensi statuit, probavit et ab omnibus sui ordinis Posteris accurate observari edixit a. 1645 m. Martio“.

Tum, interjectis iterum multis foliis vacuis, p. 65 sequitur „*Catalogus eorum qui ex studiosa Smolandicæ juventute, vel circa ipsa Academiæ Christinae primordia et sollemnia instaurationis Aboæ vixerunt, vel inde ab illo temporis articulo in numerum Studiosorum ibidem relati sunt, quem a. 1731 mense Sextili, indulgente*<sup>51)</sup> Magnifico h. t. Rectore Mag. Johanne Haartman, ex Albo Academico, diligentia, qua potuit, excerpit et

---

<sup>50)</sup> Eorum capita sunt octo: „I De Studiosorum classibus in genere; II De præside et Senioribus, eorumque numero et officiis; III De Fiscalium muniis, numero et Fisco; IV De Studiosis ex aliis Academiis huc vel prima vel secunda vice advenientibus, nec non de extraneis nostræ societati se adjungere cupientibus; V De Novitiis et Novellis studiosis, quomodo se primo et secundo anno componant; VI De ratione et tempore instituendi convivia nationalia; VII De Aegrotantibus et Carceri inclusis; VIII De extraordinaria Fiscii contributioe et mulctæ executione. Heic quoque subnectitur regula, omnes in genere concernens Studiosos“. Cfr prot. Smol. 1727 p. 23.

<sup>51)</sup> Cfr prot. Smol. 19.3.1730, ubi inspectoris rogant „befordran til at få ex Albo Studiosorum Rectoris magnifici excerpere alla dem, som ifrån Academiens första inrättning af Småländs Nation här ha studerat, hvilket Landzmännerne förmodade låta sig göra, i anledning theraf, at det förmärkt vore, huru såsom Natio O. Botniensium genom hans Magnificence hr prof. Dan. Juslenius til en slik förmån förhulplne blifvit.“ Cfr infra p. XXVI, n. 63. Tum in Rationario a. 1731 chartas emptas legimus: „til at inrätta Concept Matricul på de af vår Nation, som alt ifrån Academiens uthi Åbo upprättande därstädes immatriculerade blifvit“.

adornavit Petrus Folin<sup>52</sup>), Curator. Nat. Smol.“.

Hæc mox eadem pagina subjungit: „Notandum vero inevitabilem huic Catalogo adhæsisse imperfectionem, partim quia Rectores Magnifici“ . . . [cfr quæ jam attulimus p. IV], „partim quia nihil oerti constat de iis, qui numero sat amplo, ut constans monet fama, ex aliis, inprimis Svithiæ, provinciis Smolandicæ Nationi nomina olim dederint sua, præterquam quod ex Matriculæ in bibliotheca Præpositi quondam in Smolandia celeberrimi Mag. Johannis Helini<sup>53</sup>) repertæ colligi potuit, destructis<sup>54</sup>) per temporum injuriam et incuriam superioris ætatis omnibus Smolandorum documentis Nationalibus. Quam culpam sedulo evitet laudabilis omnis in his oris posteritas et, si quando queat, tales priorum defectus resarciat temporum.“

Hi loci cum varia libri fata summatim exponant, satis habui eos in notulis commentari. Matriculæ suæ redintegrandæ curam non contemnendam Smolandos adhibuisse testantur. Quocirca mirandum est, non contigisse iis ex albo academico usque ad a. 1722 plura nomina quam 462 colligere. In quo exiguo numero sine dubio error latet. Etenim, ut hoc utar exemplo, Smolandis illis 36, quos matricula ipsorum a principio ad exeuntem rectoratum quintum nominatum affert, saltem 12 addendi sunt<sup>55</sup>).

Quod si tempora respicimus fugam primam subsecuta, fides matriculæ præclare augetur, ut non facile quenquam Smolandicæ nationis civem silentio prætermissum invenias. Quod ex æmulatione quadam provinciali factum putaverim, siquidem ambæ, quæ tunc in academia nostra erant, studiosorum e Suecia oriundorum societates, ut ex Smolandorum protocollis<sup>56</sup>) cognoscimus, enixe sibi cavendum censuerunt, ne altera alterius sibi ascisceret novellos. Infcommode igitur accidit, quod omnino pauci cum Smolandi tum Sveogoti annis 1723–1797 in Academia Aboensi studiis dederunt operam. De hus vide sis infra. Illi numerum non excesserunt 157, ut universi ac singuli Smolandi Aboæ in matricula ipsorum inscriptorum, si hujus sequimur computationem, fuerint in omni summa 620.

*d) Sveogotorum natio*, quæ hoc nomine, ut jam antes vidimus, admodum sero in academia Aboensi esse coepit, duo de se suisque scripta reliquit, quorum alterum matriculam, alterum album appellarunt. Libri sunt formæ maximæ, foliorum tamen ingenti multitudine vacua.

Ac præcipuum quidem auctorem *Matriculæ*, quam tegumento ex aluta auro illita facto incluserunt, et breviter hujus parte postica et sic pag. prima nominarunt: „In Sui memoriam et Nationis Sveogothicæ honorem, hunc post se reliquit libellum Academiæ Aboensis quondam Vice-Secretarius Mag. Johannes Friberg<sup>57</sup>) Vestro-Gothus; Aboæ d. 20 mensis Sept. 1734“.

Ipsæ autem, prolata ex Plinii lib. 35 c. 2 sententia: Nullum est majus felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis, ad rem tractandam his se accinxit: „Ex Natione Vestro-Gothica literarum subscripti cultores Auraicis Muis nomina dederunt sua ab anno inaugurationis academiæ 1640, donec Moenides Aboenses anno 1713 extorres redderentur a Muscovitis; verum, sub quo inspectore creverint, ignoratur“. Subjungit enumerationem civium nationi a. 1640–1710 adscriptorum numero ad 157.

---

<sup>52</sup>) Ipse in matr., sub num. 463, in albo acad. vero p. 302 nominatur. Stud. Aboæ a. 1723, mag. phil. ibid. a. 1732, arti med. et iuribus in Germania et Hollandia operam navavit a. 1735, adjunct. a. 1738 et deinde lector eloqu. in gymn. Vexionensi, obiit 1751.

<sup>53</sup>) Helinus, Joh. Petri, stud. Aboæ 1691, obiit past. et præp. in paroec. Smolandicæ Nöbbeled 1730.

<sup>54</sup>) Cfr prot. Smol. a. 21.3.1724.

<sup>55</sup>) E primo jam rectoratu hi: Joh. Berg. Coræus, Is. Nic. Dumerus, Petr. Svenon. Lidenius, Petr. Joh. Reffdelius, alii.

<sup>56</sup>) Cfr ad a. 10.8.1725, 13.1.1727, 17.2.1731, cett.

<sup>57</sup>) Stud. Aboæ 1729, mag. ibidem 1732, obiit vice-secretarius 1734.



Posteriorem exin matriculæ partem, quasi in limine novæ æræ academicæ, inflatius auspicatur ita: „Finito autem exilio funestissimo, almaque pace resplendente, profuga Castalidum cohors sanctos et antiquos repetit suos Penates; quo dum quoque sequentes studiosi confluerent e Suecia, ut aquam Castaliam ad Parnassum Aboensem haurirent puram et limpidam, albo hujus nationis, quæ nunc dici coepit *Sveo-Gothica*, sub inspectione archipræpositi prof. Jonæ Fahlenii annuatim adscripti sunt“ sqq. Hæc pars, a singulis deinceps continuata, longa serie annorum 1722–1798 non plurium quam 345 novitiorum mentionem in medium profert. Inde ab a. 1745 diligenti Joh. Bilmarii, curatoris primum, deinde inspectoris, manu conscripta est.

Alius generis est *Album*, quod vocarunt, *Nationis Sveogoticæ*. Neque enim eo spectat ut, qui singuli novitii quove tempore ad academiam accesserint, indicet, sed suo quasi Marte tantum affert „nutricios“, habitationes, occupationes similesque res privatas eorum, qui studiis academicis Aboæ interfuerunt. Annis 1722–64 atque, ex intervallo, tribus illis 1785–87 concluditur. Valde utiliter cum ipsa matricula confertur, siquidem semel attue iterum omnia in hac vel nomina vel vitarum curricula corrigit et compensat. Notabile quoque hoc album ob versus illos<sup>58)</sup>, quibus celebris poeta B. Lidner ei nomen suum, cum Aboæ versaretur, professus est.

Ambo hæc Sveogotorum scripta, etsi breviter confecta nec amplius 502 nomina complexa, tamen vel ideo ad album academicum de integro adornandum haud mediocriter conferunt, quod ex hoc ipso fonte sedulus ille Joh. Bilmark, quem modo nominavi, diem plerumque notavit, qua quisque in numerum studiosorum assumptus sit, præterquam quod ille et nonnulli alii varias de vitis hominum notulas contextui orationis asperserunt.

Nec vero paucitatem nominum demirabitur, qui dimidiam fere vetustioris matriculæ, bello deletæ, partem curis Fribergii multo posterioribus redintegratam esse meminerit. Is enim, ut erat ipse Vestrogotia oriundus, cum natio antiquitus *Vestrogotica* plerumque vocaretur<sup>59)</sup>, hujus tantummodo provinciæ alumnos ex academico albo in suum transtulisse videtur. Ostendit tamen posterior ejusdem matriculæ pars, quam plurimos etiam Ostrogotos, Nericios, Sudermannos, Vermlandos, Angermannos, Uplandos, alios societati illi, quæ tum, mutato nomine, Sveogotica appellabatur, ascriptos fuisse.

Eadem vero admonitio carptim in veterem quoque Smolandorum matriculam cadit, quippe quæ, ut ex præfatione Folinii vidimus<sup>60)</sup>, eadem fere via et ratione ex albo academico excerpta sit, multis ut puto prætermisissis, qui, quamvis Smolandi non essent, horum olim nationi nomina dedissent sua. Quæ cum ita sint, perspicui facile poterit, quo factum sit, ut in albo a me refecto tam multos ex Suecia novitios, superioribus præsertim temporibus, in nullam certam societatem academicam relatos reperiamus<sup>61)</sup>.

e) De altera academiæ nostræ natione *Sveogotica* vel *Sueca*, cujus ex duabus ortum supra exposuimus<sup>62)</sup>, pauca hic addenda sunt. Exstat enim ejus quoque *matricula*, proprio volumine formæ maximæ comprehensa.

Eo in libro novitii annorum 1798–1826 numero 178 afferuntur, adjuncta brevi, accurata tamen, vitæ uniuscujusque adumbratione. Ex quo numero per se patet 163 tantum, qui ante a. 1818 fuerunt, ad codicem albi academici vetustiore deperditum referendos esse.

<sup>58)</sup> „Hur smickrad jag mig här inskrifver“, cett.

<sup>59)</sup> Cfr supra p. XII.

<sup>60)</sup> Cfr p. XXII.

<sup>61)</sup> Cfr in rectoratu I nomina: Arenius, Bergius, Bonderus, cett.; in X: Becchius, Bjug, Collinus (Jonas), cett.; in XX: Enebergh, Hising, Knattingius; cett.

<sup>62)</sup> Cfr p. XIII. De qua consociatione J. Bilmark in præfatione matriculæ ita: „Auspiciis Summi Numinis pacis ac concordie auctoris atque ampl. Senatus Acad. Aboensis consensu die 27 Junii a. 1798 ambæ hæ Nationes sine præviis sollicitationibus, concordibus animis, in unam Nationem, Sveo-Gothicam in posterum nuncupandam, ejusdem Inspectore Joh. Bilmark . . . se conjunxerunt.“

Ceterorum vero mentio in codice ejusdem albi recentiore iteratur.

f) *Ostrobotnienses* cum superioribus temporibus, sicut postea quoque, Upsaliam crebrius quam ceteri Finlandi studiorum causa ventitassent, jam decennio post conditam Aboæ academiam primo, nedum insequentibus, hanc tam multi frequentarunt, ut alumnos litterarum ibidem ex quavis alia sive Finlandiæ sive Sueciæ regione versantes numero antecederent. Quare, ut inde ab incunabulis erant penatium suorum amantissimi, nihil morati sunt, quominus mox atque, ut supra significavimus, inde ab a. 1658 in propriam societatem academicam se congregarent. Ex quo ipso tempore suam sibi ex solitis, quod sciam, catalogis annuis matriculam pararunt.

Interiit autem jam pridem prima illa *Ostrobotniensium* de se historiola. At restat alia. Quam quidem protocollis ipsorum, de quibus statim dicetur amplius, verisimillimum est indicari, cum ad a. 9.4.1730 mentionem injiciant codicis formæ, quæ dicitur, 4:æ, quem studiosi tres, Er. Cajanus, Petr. Nic. Mathesius, Abr. Roering, ex albo academico transcripserint atque, cum matricula nationis collatum, ipsi dono dederint<sup>63</sup>). Neque tamen codex, quem etiam nunc habemus, cum formæ maximæ sit, archetypon, sed exemplar prioris existimetur oportet.

Codex ille, quem *Album Nationis Ostrobotniensis* inscripserunt, sine dubio in monumentis litterarum id genus, quotquot academia nostra possidet, gravissimis habendus est. Quemadmodum enim volumine grandi, folia circiter quingenta amplexo, scripturaque diligenti et distincta conspicuus est, ita, quod majus est, argumenti et eopia et præstantia eminet. Nec mirum, cum societatem illam academicam curatores vel inspectores administrarint gubernarintque multi, qui Finlandiæ, nec solum Ostrobotniæ, stirpes et litteras omnemque antiquitatem penitus cognitatas haberent, C. Fr. Mennander, Henr. Gabr. Porthan, alii. Nam horum præcipue consilio et operæ attribuendæ sunt uberrimæ, quas huic codici insertas legimus, de vitis studiosorum annotationes. Quorum in illa natione numerus cum quovis tempore permagnus fuerit, matricula *Ostrobotniensium* perpetuo fere fonte usi sunt rerum nostrarum, ecclesiasticarum inprimis, scriptores.

Nomina vero ibi reperiuntur, si ipsum numerum<sup>64</sup>) quæris, a. 1640–1713 inscriptorum 587, deinde, calamitatibus „fugarum“ toleratis, usque ad a. 1817, quo album academicum nobis redintegrandum desinit, 1317, sequente denique decennio, ut eos simul nominem quorum memoriam matricula cum altero albo Aboensi etiam nunc superstite participat, 256; unde summa colligitur summarum trium 2160, duarum vero priorum 1904. Neque tamen silentio prætereundum, eos, qui primi matriculam ex albo academico excerpserint, mentionem haud paucorum novitiorum genere *Ostrobotniensium* omisisse<sup>65</sup>). Quam pristinorum temporum negligentiam compensatam quodammodo dixeris indice sat locupleti, quo recentior ætas codicem ornavit.

Laudabilis *Ostrobotniensium* etiam in *Protocollis* cura, volumine itidem formæ maximæ ampliore comprehensis. Quæ quamquam ab a. 1728 ad a. 1766 continuo plerumque tenore, deinde vero ad a. 1796 multis subinde longisque intervallis, multa de civibus

---

<sup>63</sup>) Cfr prot. 9.4.1730: „Afgofvo hh Er. Cajanus, Petr. Nic. Mathesius och Abr. Roering en *Matrikel* in 4:o uppå alla *Ostrobotniensium* namn, som ifrån fundatione Academiæ intill närvarande tid der ved frequenterat, den de ifrån Rectoris Academi [a. 1729 Dan. Juslenii] *Matrikel* jämförd med *Nation*s, extraherat, blifvande samma med tacksägelse emottagen at ved *Nation* förvaras“. Cfr etiam prot. Smol. supra p. XXII, n. 51. Verbo „immatriculare“ protocolla jam antea sæpius utuntur, ex quo apparet, nationem prioribus etiam temporibus propriam possedissee matriculam. Magis mirandum, quod in iisdem prot. dicitur 7.4.1729: „har *Nation* hafft några sammankomster, såsom af *Matrikel* en *känihämtas*“; neque enim moris erat tales res in ea consignare. – Quod ad scriptores donatoresque novi codicis attinet, obierunt Cajanus pastor nosocomii Kronobyensis a. 1765, Mathesius pastor Pyhäjokiensis a. 1773, Roering pastor Lojoensis 1759, magistri philosophiæ omnes.

<sup>64</sup>) Animadvertendum est, alios passim aliter ordinem numerumque nominum in *Matricula* disposuisse et signasse.

<sup>65</sup>) Velut nomina hæc in rectoratu I: Corvinus et Wargius; in IV: Kempe et Kiemmer; in VI: Lemingius; cett.

rebusque nationis plus minus notabilia<sup>66)</sup> memoriæ tradiderunt, tamen propter ipsam albi copiam et diligentiam nullo vel saltem minimo ad album academiæ deperditum restituendum sunt momento.

**g)** De Matricula Viburgensium. Sicut de nationibus Ostrobotniensium et Borealium optime meruit Henr. Gabr. Porthan, ita vix dici potest, quantum æquali ejus Matth. Calonio, alteri eo tempore academiæ Aboensis totiusque patriæ lumini, Viburgensium natio debeat. Nam ille vir per quinquaginta quinque annos 1759–10.10.1814 primum curator, post (ex a. 1779) inspector Viburgensium, non solum vigore suo animique constantia et firmitate effecit, ut studiosi ex diversis belloque sæpe vexatis Finlandiæ orientalis regionibus, cum Aboam accessissent, et inter se et ceteris academiæ alumnis amice consociarentur, sed eorum etiam memoriam, si non primus, at certe omnium accuratissime litteris consignavit.

Quamvis enim in dubium vocari nequeat, quin Viburgenses studiosi olim, sicut reliqui, suorum confecerint catalogos sive indices quosdam, matricula tamen usque ad Calonii ætatem videntur caruisse propria. Ejus vero manu exaratum habemus exemplum, cui inscripsit: „Album Nationis Viburgensis inde a prima Academiæ inauguratione die 20 Junii[?] a. 1640 facta ad præsens usque tempus“. Codicem, folia formæ maximæ 48 amplexum, subito concludit jam a. 23.3.1803, pleno tamen nominum folio, quare facile suspiceris, chartas aliquot excidisse.

Suum ipsius in usum Calonium libellum et incepisse (de anno tamen non constat) et continuasse ex multis apparet, quæ in eodem partim addidit, partim commutavit. Fortasse hunc sociis nationis dedit politius transcribendum, quamquam matricula ornatio ita, opinor, orta ad nostram ætatem non pervenit. Utcunque se ea res habet, certe libellus ipsius albi academici pressit vestigia, a quibus si forte passim declinavit, errata calamo statim emendata reperias.

Commemorantur vero in Caloniana Viburgensium matricula a. 1640–1717 inscripti 462, atque post eos usque ad a. 23.3.1803, de quo termino modo dixi, 861, unde totus numerus evadit 1323. Enumerationem nominum, utilem per se, utiliore etiam reddiderunt annexæ plerisque vitarum narratiunculæ.

Excipit hunc alius ejusdem generis index exigui voluminis, Sueco sermone conscriptus, vel potius inceptus, a curatore nationis Jac. Bonsdorff, ut videtur: „Förteckning öfver Viborgska Nation författad år 1796“. Initio<sup>67)</sup> vel usque ad a. 1803 nomina circiter 200 ex matricula Calonii exscripsisse videtur neque tamen cuncta, quare ad id tempus catalogi magis Viburgensium, etiam tunc in academia versantium, quam matriculæ novæ speciem præ se fert. Qui deinde a. 1803–17 afferuntur novitii numero sunt 355. Quo numero prioribus addito summa omnium efficitur 1678.

Et hunc denique continuat tertius, idemque ultimus, studiosorum Viburgensium index volumine modico: „Förteckning öfver Viborgska Nations Medlemmar börjad år 1818“. Cujus quoniam argumentum totum albo academiæ vetere recentius est, hic indicasse sufficiat, novitios usque ad a. 1827 ibi commemoratos numerum explere 310. Inde summa universorum, qui natione Viburgenses Aboæ studia coluerunt academica, efficitur 1988.

**h)** Nationi Aboensium jam inde ab incunabulis academiæ, quæ ipsa Aboam sedem et domicilium habebat, juvenes sese ascripserunt valde, pro portione territorii, multi

---

<sup>66)</sup> Ipsi protocollis præmissa sunt, a) „Leges et Statuta DD. Studiosorum Nationis Societatisque Ostrobotnicæ“; b) „Brevis historia noctium novennium Russicarum ab a. 1713 ad a. 1721 et dehinc ad a. 1728; scripsit, Aboæ 18 Nov. 1728, Is. H. Peldan“ [obiit a. 1748, pastor in Lappfjärd].

<sup>67)</sup> P. 1 quasi exordii loco versus illos pulchros Choræi attulit scriptor indicis „Liksom löfven födas, vissna, falla“, cett.

valdeque mixtæ originis, alii familiarum nobilium ac magistratuum filii, alii ex plebejis ordinibus mercatorum, cauponum, opificum, alii denique ex cetera turba urbanorum prognati. Quamobrem, deperditis hujus nationis matricula et protocollis veteribus, vetus cultus nostræ gentis historia damnum accepit satis notabile, quod vel ex actis consistorii, ubi tam frequens Aboensium mentio fit, probabili conjectura expenderis.

Detrimentum ita litteris illatum male nimirum sarciant duo residua<sup>68</sup>), „Åbo Nations Matrikel 1776–1839“ et „Åbo Nations Cassa och Bibliotheks Räkningar ifrån och med 1813“. Hoc eum inferiorem ætatem spectet, nulli fere nobis fuit auxilio.

Illud autem codice continetur exiguo simplicioris habitus chartisque imperite compactis, ut prope miremur, nationem ceteris beatiore sorte præstantem ullo tempore matriculæ specimine tam incompto contentam fuisse. Quapropter vix crediderim hoc nomine illum codicem primitus ornatum, sed potius, vetustiore exemplari inscriptis studiosis adeo referto, ut novis deesset locus, pro supplemento habitum, ejus tamen melius exarandi sive labore sive sumptu supersederint posteri.

Hæc opinio ea etiam re confirmari videtur, quod in isto codice, etsi titulo, ut vidimus, annum gerit 1776, unum solum studiosum tunc ascitum reliqui ab anno demum 1798 perpetua serie excipiunt. Inde Aboenses, quoad urbe incensa academia Helsingforsiam migravit, enumerantur 272, inter quos 118 usque ad finem anni 1817. De vitis singulorum in matricula nil præter dies, quibus nati quibusque cives academiæ facti sint, affertur.

Universorum autem illis temporibus numerus ei fortasse exiguus videbitur, qui meminerit, cathedralem Aboæ scholam frequentia floruisse alumnorum, qui academiæ quasi tirones designarentur, et *Australis* a. 1813 cum Aboensium natione coaluisse<sup>69</sup>). Hanc equidem rationem dijudicatu difficillimam vel ideo censeo, quod de natione Australium, quorum matricula plane interiit, nil fere constat. Fuisse tamen eos tum, cum Aboensibus annumerari coepti sunt, perpaucos, cum aliunde, tum ex horum rationario<sup>70</sup>) pro certo haberi potest.

*i)* „Album Tavastensium“ codex inscribitur formæ amplissimæ, coriario involucro tectus totoque habitu optime conservatus. Anno demum 1801 inchoatus est, ita tamen ut facile appareat, eum vetustiori cuidam hujus nationis matriculæ, quæ tamen non amplius restat, successisse.

Qua parte academiam Aboensem spectat (nam Helsingforsia continuata est), Tavastenses in ea studiosos commemorat 369, quorum 183 ante a. 1818. Vitarum descriptiunculis ornatur accuratis, magnam partem deinde in posterius albi academici volumen assumptis.

*k)* De *Nylandensium* matricula vetustiore, qualem olim exstitisse haud temere conjeceris, nihil prorsus cogniti habemus. Quod adhuc una cum ceteris codicibus id genus in bibliotheca universitatis nostræ asservatur „Album Nationis Nylandicæ“ volumen formæ maximæ, tegumento ex aluta viridi facto pulchre munitum, eodem fere tempore confectum est, quo sibi academia ipsa novum album paravit.

Communiter cum hoc Nylandenses Aboæ 1817–27 in studiosorum coetum ascriptos enumerat 152. Ex quo numero 8 anno quidem primo matriculæ huic nomina dederunt, sed ita sero, mensibus novembri et decembri, nullo ut jure possint ad album academiæ prius, in quo reficiendo maxime versamur, referri.

Ex iis quæ supra de matriculis singularum nationum exposuimus cum cuivis nullo negotio eluceat, quantopere illæ inceptum nostrum sublevarint, tamen qui rem diligentius

---

<sup>68</sup>) Affert G. A. Spåre in editione prioris libri sui „Biografiska Anteckningar“ inter alios ejus fontes duas Aboensium matriculas annis inceptas alteram 1808, alteram 1813. De iis nil compertum habeo.

<sup>69</sup>) Cfr. p. XV.

<sup>70</sup>) Ibi ad a. 1813, cum nationes illæ duæ coaluerunt, 4 tantum *Australiae* commemorantur.

expendit, perspicit facile, ne illis quidem adjuventis adhibitis plenam et perfectam albi veteris restitutionem posse exspectari.

Quod equidem, ne sim multus, jam simplici calculorum ratione comprobatum velim. Sumamus igitur, tabulæ illi Lecheanæ confisi<sup>71)</sup>, pro concessio, numerum omnium, qui annis 1640–1817 in academia Aboensi studiis doctrinæ navarunt operam, fuisse ad XIII milia. At computatis singulis, qui eodem temporis spatio in matriculas relati sunt<sup>72)</sup>, summa efficitur non amplius 7632. Atque hanc ipsam aliquanto majorem, quam fuit revera, scientes fecimus, quandoquidem, æquabilitatis gratia, totum annum 1817 veteri albo, quo tamen parte modo pertinuit, attribuimus.

Differentia vero ista summarum, quanta est, ex duplici causa facile explicatur. Primum enim matriculæ, superioris præsertim temporis, ut sæpius docuimus<sup>73)</sup>, haud paucos in album relatos incuria scribentium omiserunt. Tum, quod gravius etiam est, ex ipsis aliæ, ut Australium Nylandensium, penitus interierunt, aliæ non restant, nisi conditione vehementer manca, ut Aboensium et Tavastensium. Quas omnes si integras etiamnunc haberemus, dubium non est, quin summæ istæ duæ inter se vel plane concordantes vel multo minus discrepantes redderentur.

Restat igitur, ut alios, uberiores etiam fontes (dummodo uberiores sint), adeamus.

**IV. Acta Consistorii varia.** Hæc nisi qui assidue pervestigarit, historiam academiciæ penitus cognitam habere nequit. Præcipue vero in res a nostra memoria longius remotas inquirenti illis tanquam ducibus opus erit. Quorum licet ambagibus interdum defatigetur, operæ tamen pretium habebit, cum eorum tandem auxilio, quæ diutius frustra aliunde expetierit, sæpius repererit.

Acta vero illa non tantum, utpote prolixius concepta, fastidii aliquid legenti afferunt, sed etiam consulentibus molestiora sunt, quippe ex quibus alia codicibus ingentis molis, quorum magna est pars igne adusta læsaque, contineantur, alia quasi disjecta librorum manu scriptorum membra efficiant. Etsi enim ne recentiori quidem ætati remittenda visa est cura et industria, qua senatus academicus primis post incendium Aboæ annis ardebat, ut omnia vel minima ex calamitate fatali residua litterarum monumenta calamo exarata colligerentur et suis quæque involucris custodirentur, fieri tamen non potuit, quin in tam immensa copia, inter plurima bene ordinata et conservata, nonnulla etiam festinantius disposita, nonnulla plane neglecta ideoque sollertius denuo collocanda hodieque reperias.

Ex tabulario ita orto et comparato, voluminibus codicum chartarumque fasciculis aliquot centenis referto, jam quæ maxime incepto nostro usui fuerint, breviter sunt indicanda.

**a) Protocollo Consistorii** longam seriem ab initio usque academiciæ deductam, quamvis vetustissima si spectas non ubique integram<sup>74)</sup>, adhuc superesse constat. De iis tamen nihil est, cur hoc loco latius disseramus, cum qualia quibusque rebus destinata et accommodata antiquitus fuerint, satis emergat vel ex parte, memoriam annorum 1640–64 complexa, quam Historica apud nos Societas typis non ita pridem divulgavit<sup>75)</sup>.

---

<sup>71)</sup> Cfr p. X.

<sup>72)</sup> Et quidem Boreales 971, Satacundenses 1493, Smolandenses 620, Sveogotos 502 (p. XXIV mendum est typographicum 344 pro 345) + 163, Ostrobotnienses 1904, Viburgenses 1678, Aboenses 118, Tavastenses 183. Cfr p. XIX, XXI, XXXIII, XXV, XXVI, XXVII, XXIX, XXX.

<sup>73)</sup> Cfr p. XIX, XXI, XXIII, XXV, XXVII. Ex singulis matriculis nationalibus, quas nostra servat ætas, usque ad primam fugam a. 1713 nomina studiosorum colligi possunt non amplius 2485 – Borealiū 311, Satacundensium 509, Smolandorum 462, Sveogotorum 156, Ostrobotniensium 587, Viburgensium 460, – quamquam, secundum tabulam Lechei, eodem temporis spatio in albo communi academiciæ inscripti sunt 5224.

<sup>74)</sup> Ne exemplum quidem, quod nostra ætate typis impressum est, lacunis caret, veluti desiderantur ibi, quæ ex protocollis 12.6, 23.6.1660, edidit V. G. Lagus p. 30 programmatis a. 1840.

<sup>75)</sup> Consistorii Academici Aboensis äldre Protokoller, I, II; Helsingfors 1884, 1887, 8:o. Indices iis adjuncti, quamvis de cetero admodum pleni et accurati, tamen personas diversas haud raro confundunt.

Multas ne demireris latasque, quarum usque ad finem seculi repleta sunt, in studiosos aliosve vicissim multorum actiones et accusationes, referas animum, velim, non solum ad magnam illius ætatis licentiam, sed etiam ad diffusam academiæ Aboensis jurisdictionem, qua sæpe factum est, ut consistorium tribunal quoddam rerum forensium magis quam doctrinæ perfugium et præsidium videretur. Verum has ipsas ob causas, quo plures lites in protocolla relatas legimus, eo plenior nobis numerum subministrant juvenum in album academiæ, cui redintegrando operam navamus, referendorum. Nec vero me præterit, si non universos, at multos certe, de quibus notitiam aliquam ista ratione consecuti sumus, juvenes nequam fuisse; sed de ea re videant alii, ego quam plurima possum nomina conquiro.

Reperienti vero mihi in protocollis seculi XVII, de quibus solis hic agitur, multo plures, quam initio sperabam, studiosos, qui alibi non reperti sunt<sup>76)</sup>, duplex injecta est dubitatio. Primum in appellationibus hominum ignotorum semel atque iterum hærebam, quippe cum illi, pristino more, patronymice quodammodo, paternis scilicet et suis ipsorum, non familiarum nominibus, plerumque significarentur. Quæ res tardam et difficilem, si non irritam, omnem de iis reddidit investigationem.

Tum in incerto sæpe habui, cuinam potissimum tempori, id est cuinam rectoratui, ascribendi viderentur isti, quorum ex protocollis nomina plus minus nota congessissem quorumque primos ad academiæ accessus planius monstrare mihi non contigisset. Perpensis vero omnibus, quæ verisimillima videbantur, ea secutus sum. In quo, ut id ingenue confitear, distributionem studiosorum in tabula Lecheana per annos rectoratum factam, etsi præceptam, numquam tamen solam mihi normam proposui, cum, ut supra vidimus<sup>77)</sup>, nec illa tabula nec ipsum album hac in re omnia tulisset puncta.

**b) Regesta Consistorii vetera**, „fugis“ superiora, quorum IV habemus volumina formæ maximæ, expectationi nostræ aut parum aut omnino non respondent. In quam censuram incidi, non quo parum diligenter scripta nulloque certo ordine collecta et disposita sint, sed quia de studiosis rarius continent, quæ in iis inveniri auctoritate protocollorum ductus jure existimes.

De testimoniis discedentium nihil est quod hic quærat, quippe quæ supra demonstrarimus ex consuetudine pristina in margine albi academici, jam pridem igne consumpti, descripta fuisse. At quot „viatica“, quot litteræ commendatiæ, quot relegationes<sup>78)</sup>, non tacitæ tantum et privatæ, sed ignominiosæ etiam publicisque deoretis promulgatæ, in protocollis et alibi commemorantur, quorum in registis, ubi maxime relata crederes, nec vola nec vestigium. Itaque hæc quam fuse res academiæ ceteras, pecuniarias maxime, persequuntur, tantillum vitæ moribusque juventutis diffundunt lucis. Quid quod ne examinum quidem aut promotionum mentionem nisi fortuito fecerunt, quod eo incommodius accidit, quia ut multa alia, ita protocolla quoque ordinum academicorum ad unum omnia delevit incendium illud

Neque tamen negaverim, regesta consistorii paulatim ac præsertim a medio fere seculo XVIII et in aliis rebus et studiosorum habita ratione, plenius confici incepisse. Tum, vetere more deserto, id quoque novi instituerunt, ut testimonia ipsa, e quibus maxime patet, cujus muneris officiis studiosus, academiæ cedens, se dederit, una cum ceteris consistorii litteris in registis exscriberent. At illa commutatio quoniam in tempora jam melius nota incidit,

---

<sup>76)</sup> Veluti in rect. I: Car. Jonæ, Er. Israelis, Jac. Nicolai, Is. Petri, cett; in II: Hagman, Sigfr. Martini; in III: Laur. Israelis, Ol. Henrici; in IV: Andr. Laurentii, Er. Georgii, Gust. Henrici; cett.

<sup>77)</sup> Cfr p. III, X.

<sup>78)</sup> Hujus poenæ pronunciationem quam severis et prolixis verbis conceperint patres academici, etiamnunc videre licet ex edictis in studiosos Mich. Kepplandrum et Matth. Ruolenium, quæ casu servarunt regesta a. 26.9.1680. Immo vero etiam typis eam nonnumquam divulgavit, ut testatur Tillandsii rectoris programma a. 6.2.1681 de Pythonio Aboensi relegato, cujus programmatis exemplar unicum in bibliotheca universitatis nostræ adhuc restat.

prætermissa antea nequiquam compensare potest.

c) *Rationaria* Academiae, seculo XVII et initio proximi confecta voluminibusque LXXVIII comprehensa, notabilioribus operis nostri fontibus annumeranda sunt. Versantur illa quidem, præcipuo argumenti sui pondere, in salariorum annuorum notatione atque administratione redituum academiae ex fundis vel agellis provenientium, ultra quam crederes, implicata, neque tamen res studiosorum parvulas non tangunt. Namque his inde ab ortu academiae destinata erant stipendia, quorum in rationibus fisci distributionem, per singulos annos factam, consignarunt quæstores, ærario præfecti.

Præmia illa diligentiae quibus decernerentur, quia omnis apud consistorium erat decisio, ne protocolla quidem eam prorsus reticuerunt. Neque tamen tanta in his rebus cura composita sunt, quanta rationaria, in quæ ne quid falso de personis ratisve pecuniarum summis inferretur, vel idcirco circumspecte vitarunt quæstores, quod sine detrimento ipsorum mendum scripturæ non fieret. Multo igitur rationaria hac parte præfenda sunt protocollis, in quibus etiam solitæ ceteroquin stipendiariorum enumerationes sæpe per integros annos prætermittuntur.

Profecto pecuniæ stipendiariis, quorum tres erant classes, quotannis datæ non magnæ admodum putandæ sunt, quandoquidem summam effecerunt non amplius thalerorum argenti mille. Quæ tamen quoniam ex more in quadragenos octonos juvenes singulis semestribus, quamvis haud raro per sexennium vel diutius etiam fruenda, distribuebatur, inde, procedente tempore, exorti sunt catalogi stipendiariorum valde multi longique.

His igitur ex rationario cujusvis anni cognitis addidi plerumque, Ubi fieri potuit, ea in re protocolla secutus, tempus quo quis stipendium apud consistorium petiisset vel saltem in numerum „expectantium“, quos vocarunt, esset relatus. Quod ideo præsertim feci, ut quot quosve annos aliquis in studiis academicis versatus esset, accuratius indicarem.

At dicat quispiam, ex solis sive rationariorum sive protocollorum catalogis nullo pacto enucleari posse, quo quis rectore in albo studiosorum, id quod maxime quæritur, inscriptus sit. Hoc concessio, concedatur rursus oportet, perraro factum esse, ut nomen quoddam illis tantummodo testibus comperiamus, cum qui aliquando præmiis academiae dignus esset visus, vulgo in posterum quoque vel aliquantulam sui memoriam reliquerit. Quod si forte aliter acciderit, satis habeamus necesse est, conjectura ignotum istum academiae alumnum illi aut illi rectoratui attribuere. Qua in re eam mihi legem præseripsi, ut, nisi certis coactus rationibus, neminem existimarem in civitatem academicam receptum amplius uno vel duobus annis ante, quam stipendio esset præditus.

d) *De Studiosorum codicillis*. Horum duo genera distingui possunt, unum petitiones senatui academico oblatas, alterum catalogos vel alios ejusdem modi commentarios jussu superiorum scriptos complectens. Utrumque paucis attingam.

Et restant quidem adhuc ex antiquissimis academiae temporibus non ita parva copia *Libellorum supplicium*, quibus studiosi propter paupertatem vel aliis de causis consistorium rogarunt, ut stipendia, nonnumquam etiam pecunias diligentiorum, quæ appellabantur, vel alia beneficia sibi impertirentur. Neque tamen hi libelli, quotquot ad nostram ætatem pervenerunt, longiorem annorum seriem, quam a. 1649–1656 amplectuntur. Quod vix leviter ferendum censeo, quoniam, ut sunt propriis petentium manibus, et latine quidem, conscripti, haud raro, multis quamvis flosculis orationi immixtis, uniuscujusque ortum, vitam victumque, institutionem primam puerilem atque ad academiam accessum breviter perstringunt Iis, cum potui, eo libentius usus sum<sup>79)</sup>, quod ad ætatem personasque

---

<sup>79)</sup> Ex annotationibus multis abhinc annis a me factis. Quas jam cum archetypo iterum conferens, video me ea saltem in re sine causa dubium hæsisse, quod studiosum Joh. Georgii Crochium retuli, quamvis signo interrogandi apposito, ad rectoratum VIII, cum ipse in libello suo a. 24.11.1647 scripto diserte dicat, sibi „ante triennium“ (i. e. rectoratu IV) civitatem academicam concessam fuisse. – Nec penitus probari potest quæ in

pertinent, quarum memoria de cetero valde exilis est.

Tempora multo posteriora spectat alterum, quod dixi, codicillorum genus. Huic enim ascribenda sunt studiosorum cum catalogi tum „tabulæ“, quæ inspectores vel curatores nationum consistorio obtulerunt cancellariis transmittenda, quorum sat magna, at in composite annis 1730–1803 facta congeries in archivo academiæ vel hodie asservatur. Verumtamen nonnumquam et hæc illi calamo adeo negligenti totque lituris exarata sunt, ut ex parte saltem adversaria potius scribentium, quam ipsa exemplaria consistorio tradita haberi debeant.

De Catalogis, quos dixi, dubitari non potest, quin ad eundem numerum libellorum officiosorum pertineant, cujus jam supra p. XVI feci mentionem. Quare vetustissimos periisse eo magis dolemus, cum, ut sæpius ostendimus, incertior parciore sit nostra de tempore ante „fugas“ notitia. Ii contra, quos etiam nunc habemus, fragmenta sunt fortuita ex singularum nationum collectaneis multo recentioribus sumpta<sup>80</sup>). Nec vero nostro operi tantum præsidii, quantum facile opineris, attulerunt. Pauca enim, si universa respicimus, continent, quæ non aliunde etiam, præsertim vero ex matriculis nationalibus, cognita habeamus. De qua tamen sententia excipias, velim, catalogos Australium, Aboensium, Nylandorum, Tavastensium, a decennio 1730 inceptos et continuatos, quarum nationum matriculis iniquitate temporum aut omnino aut magna ex parte deperditis<sup>81</sup>), earum quasi supplementa catalogi isti quodammodo efficere possunt.

„Tabulæ“ autem studiosorum quod attinet, sunt illæ quidem ad formulam illam ab Andr. Berchio a. 1761 ad usum Upsaliensium inventam, mox jussu cancellariorum in academiis Aboensi et Lundensi receptam, compositæ, at nullum prorsus in albo reficiendo nobis auxilium pararunt, siquidem pro nominibus numeros tantum continent studiosorum, certis et antea descriptis rubricis conceptos.

e) Quin etiam Pastoribus dioeceseos Aboensis catalogi quidam studiosorum debentur. Namque rogatu consistorii capitulum Aboense a. 24.8.1748 per litteras subditis ipsi ecclesiarum præpositis mandavit, ut alumnis academiæ in singulis paroeciis degentibus, quod ad numerum, mores, vitam attineret, diligenter recensitis, censuræ exitum seoum communicarent<sup>82</sup>). Responsa vero præpositorum, etsi sunt actis consistorii immixta multisque studiosorum nominibus referta, tamen cum annos perpauca respiciant, nostro consilio vix ad ne vix quidem subvenerunt. Quod si cui libuerit in studia et occupationes rusticantium minutius inquirere, is non omni sine fructu fontes illos adibit.

f) Academia Upsalensis cum non solum ante conditam Aboæ simillimam sibi litterarum sedem, verum postea etiam a Finlandis frequentari solita esset, lovupletem in actis suis nostratum servavit memoriam. Illa acta, qua ex parte hos attingunt, transcribenda non ita multis ante annis pie curavit heres academiæ Aboensis, consistorium universitatis

---

descriptione rectoratus II de Samuele, Hieronymo et Johanne Gabrielis attuli. Quoniam enim Hieronymus apud consistorium a. 16.2.1641 supplex petit, ut sibi stipendium 2:æ classis amissum reddatur alterumque fratri attribuat, idque eo potius quod, ut scribit, „tres hic fratres gratia studiorum commoramur“, et quod veretur „ne nostris invidiam reddamur parentibus, quasi propter negligentiam in studiis, quæ non est, nulla digni promotione“, inde efficitur, hos omnes jam rectoratui primo ascribendos esse.

<sup>80</sup>) Cur longe maximam horum collectaneorum copiam annis præsertim 1748 et 1749 debeamus, caussa fuisse videtur prot. 17.3.1748 § 22 (cfr § 6, 7) hunc in sensum concepta: „som en del af studerande tagit sig oseden att utebli många år, hvarigenom Officerare få tillfälle bringa slike sjelfsväldige till krigstjenst, academiens till mycken vanära; därför bör i N a t i o n s m a t r i k l a r n e för någon tid efterses och om hvarsochens beskaffenhet, som ännu intet till någon sysla eller ämbete befordrade äro noga undersökas, isynnerhet theas som på l a n d e t vistas“, cett. Quibuscum cohærent litteræ consistorii ecclesiastici a. 24.8.1748 pastoribus datæ, quas statim commemorabimus His enim ut obtemperarent, studiosos enixe monuit senatus academici prot. a. 1.3.1749 § 3. Cfr prot. 11.4.1749 § 12 ad jussa singillatim cancellarii provocans.

<sup>81</sup>) Cfr p. XXIX sq.

<sup>82</sup>) Cfr n. 80.



Helsingforsiensis. Inde nova huic quoque operi adjumenta et auxilia accesserunt.

Acta illa Upsaliensia argumenti sunt varii multiplicisque. Constant enim partim ex albis duobus, quæ vocarunt, altero studiosorum, altero examinum publicorum, partim ex libro multarum, alia ex protocollis consistorii, alia ex protocollis itidem et legibus nationis, quæ istic fuit, Finlandensis. Qui exempla eorum confecit<sup>83</sup>), laudabili certe cura et fide rem administravit, præterquam quod, culpa fortasse ipsius archetypi, nomina nonnulla Finlandorum vitiose reddidit.

Præ ceteris excerpta ex *Albo studiosorum*, quæ ad annos 1640–1827 pertinent, nobis usui fuerunt. Nec facile dixeris, unde largior certiorque de Finlandis Upsaliam discendi gratia profectis notitia haurienda sit. Quæ itinera vel, si mavis, hospitia litterata, quamquam tantum abest, ut Aboensium matriculæ aliive indices silentio præterierint, ut ea de re haud pauca contineant, quæ in albo Upsaliensi, si ex excerptis judicare licet, frustra quæras<sup>84</sup>), hoc tamen diligentius est compositum, ita ut ipsum diem, nec annum solum, indicet, quo in celebri Suecorum academia advena aut primum „depositus“, aut alias civis factus sit. Adde huc, si placet, commemorationem multorum ex nostris oris Upsaliam adventuum, de quibus reliqui fontes nil loquuntur<sup>85</sup>).

Multo minus rei nostræ profuit *Album examinum*. Namque ut perbreve post conditam Aboæ academiam spatium annorum 1643–69 amplectitur, ita vix 50 Finlandos commemorat. Ex his alii, et quidem plurimi, jam nobis satis noti sunt, alii<sup>86</sup>), quod mireris, in ipso studiosorum albo Upsaliensi, vel saltem in excerptis, de quibus modo diximus, omissi.

De exemplo autem *Protocollorum nationis Finlandensis* moleste sane accidit, quod illud et paucis annis nostræque ætati proximis 1780–1817 finitur, et pauca refert nomina, maximam ceteroquin partem per se notissima. Exstitisse enim Upsaliæ hanc nostratium congregationem jam ante a. 1680, suamque habuisse matriculam, ipsa illa protocolla narrant<sup>87</sup>). Videntur tamen non modo matricula, sed alia etiam scripta nationalia Finlandorum vetera jamjam intercidisse, quod magno historiæ nostræ litterariæ, detrimento factum est.

*Protocolla* denique consistorii liberque multarum, ut sunt a nostro consilio remotiora, hoc loco missa facimus.

## V. Sed de adjumentis manu scriptis satis; transeamus ad ea quæ typis edita sunt. Ex

---

<sup>83</sup>) Amanuensis d:r M. B. Swederus.

<sup>84</sup>) Cfr ut nonnulla tantum afferam nomina, in rect. I: Milander, Ungius; II: Folkerus, Troilius; VI: Fante; IX: Cajanus, Hordelius, Kihlman, Paulander; cett.

<sup>85</sup>) Hos equidem, ubi nil certius constat, in catalogo refecto ad eos semper retuli rectoratus, qui temporibus datis respondent. Cfr in rect. IV: Capstadius, Dryander, Mich. Eschilli; VI: Stålarms; VIII: Ingelbertus Petri; XVI: Chrugerus; XVIII: Furuqvists Zach. Olavi; XIX: Limelius; cett. His addi possunt vel forsitan debeant, in albo Upsaliensi inscripti: 24.1.1641, Steph. Eschilli Ulensis [rect. I], 2.11.1648 Jonas Cheliani Ulonius? [rect. IX], 9.7.1652 Henricus, Petrus et Gustavus Wredh, fratres nobiles [rect. XIII, filii Car. Henr. Wrede], 25.10.1655 Is. Isaaci Limmingius et Car. Joh:is Lethiander? Ostrobotnienses [rect. XVI], 16.6.1658 Joh. Isaaci Limmingius Ostrob., – son af kh Is. Josephi Lithovius († 1652). Kpl i Limingo. Död 1673.

<sup>86</sup>) Cfr a. 1643: Olaus Jonæ Nylandus, 1654–58: Petr. Clementis, qui modo Ostrobotniensis modo Aboensis appellatur, 1656: Joh. Enerooth Viburgensis, 1657–59: Henr. Stephani Ostrob. l. Aboens. Cadit in hos quod jam dixi notula 85 de ceteris a me in catalogo omissis.

<sup>87</sup>) Cfr ad a. 1780: „Nation borde vara betänkt på nya constitutioner, emedan de förra, som nu voro öfver 100 år gamla, ej til alla delar voro lämpliga“; a. 1781: „Och som det förra album Nationis, där de gamla constitutionerna voro inbundna, redan var så åldrigt at det förtjänade nytt band, men tillika ej länge kunde hafva betånd i anseende til bladens bräcklighet och snara multning, altså beslöt Nationen at låta göra sig et nytt album snyggt och väl conditionerad“. In inventario a. 1791 afferuntur inter multa alia: „Nations Sigill, föreställande Stor Furstendömet vapen; Album Nationis i quarto, Franskt band, prydd med Vapnet näst titelbladet; 1 bok räkningar öfver Nations medlen från 1749 til 1768 . . .; cett.

quo genere non quilibet libri, sed ii tantum recensendi hic videntur, qui revera fontium merentur appellationem, quod affluentia quadam vel longiore ordine nomina studiosorum protulerunt. Ea autem enumerabo sic, ut simul quasi gradus persequamur, quibus alumni academiæ studiorum vitæque confecerint cursum.

a) Institutio academica apud nos, haud secus atque in Suecia, olim, sicut testantur statuta, protocolla consistorii, litteræ cancellariorum, disputationibus orationibusque, quibus conscribendis, defendendis, pronunciandis studiosorum ingenia excolerentur, plurimum tribuit. Floruerunt igitur hæc exercitia Aboæ mirifice, cum omnes qui vel stipendiis publicis vel dignitate magistrorum<sup>88)</sup> vel quibuscunque testimoniis litterisve commendaticii ornari vellent, in ea incumberent sedulo. Inde evenit, ut scripta id genus jam ante fugæ, primæ, tempestatem (ne nunc posteriora spectemus), si particulas a singulis editas singulas computamus, amplius 1500 effecerint<sup>89)</sup>. Magnus profecto numerus pro portione studiosorum circiter 5200, qui, secundum tabulam Lechei, usque ad id tempus, Aboæ fuerunt!

Ac Disputationum quidem catalogum ex maximis suis collectionibus singulari cura edidit Joh. Henr. Lidén<sup>90)</sup>. Quod opus eo gratius omni erit posteritati, quo rariora illorum libellorum exemplaria temporis, hostium, incendiorum vis et injuriæ jam pridem fecerunt<sup>91)</sup>. Itaque ipse Gabr. Marklin, bibliognostes sollertissimus, qui totam vitam in catalogo Lidénii supplendo et continuando laboravit<sup>92)</sup>, vix 400 particulas Aboenses deprehendit ab illo omissas.

Doctrinæ vero Lidénii cum multa debeam, non cæcus tamen ejus auctoritatem seculus sum. Namque possidet bibliotheca universitatis nostræ pretiosam disputationum copiam, partim dono acceptam, partim industria præfectorum conquisitam. Has ego tribus potissimum de caussis mihi perlustrandas et cum catalogo Lidéniano conferendas duxi.

Primum enim eruditissimus ille vir, si forte disputationis cujusdam editionem novam et collectivam, quæ dicitur, invenit, at particulis ejus separatim jam antea in lucem emissis caruit, necessitate coactus, non harum, sed illius tempora, inter se aliquando plus minusve discrepantia, apposuit. Deinde ego quidem cujusvis particulæ non annum solum, ut Lidénius, quæsivi, sed diem etiam examini vel „ventilationi“, quam vocarunt, destinatum, quamque in distribuendis exemplaribus, cum rarius præsciri posset, non typis sed atramento plerumque adscripserunt, Quæ temporis definiendi subtilitas, ubi adhiberi potest, omni de personis rebusque antea vel ignotis vel parum notis investigationi mirum quantum præbet subsidii.

Tertium id quoque reputavi, ex ipsis disputationibus, non autem ex catalogo eorum, apparere, quibus illas „respondentes“ singuli dedicarint. Quoniam enim jam inde a condita academia moris erat, ut qui tale eruditionis suæ specimen examini subjicerent, id, honoris causa, unius saltem aut multo sæpius 6, atque adeo, consistorio tamen invito<sup>93)</sup>, plurimum

---

<sup>88)</sup> Cfr constt. c. 17 § 4: „Publicum examen [candidatorum] consistet in Disputationibus, Orationibus et Lectionibus . . . Candidatus sub præsidio pro gradu disputabit.“

<sup>89)</sup> Disputationes singulæ et universæ Aboæ a. 1640–1778 prodierunt, secundum computationem Lidénii, 2819, quibus Marklin addit 1057 usque ad a. 1820 editas.

<sup>90)</sup> Catalogus Disputationum, Sect. I: Upsalienses, II: Lundenses, III: Aboenses, IV: Gymnasticæ, V: Synodales; Upsal. 1778–80, 8:o. Opus hoc eximium et gravissimum in Biogr. Lex. Suec. VIII, ubi vita Lidénii describitur, prorsus prætermiserunt.

<sup>91)</sup> Cfr Lidénii præf. Sect. III: „Quod ad disputationes Aboenses attinet, ceteras raritate sua vincunt . . . Nec rationes in obscuro sunt. Scilicet, ex veteri quodam instituto, . . . haud multa typis emitti solent exemplaria. Quid quod sedes illa Musarum Aboa non semel incendio deleta est, atque hostilibus insuper tumultibus ac flammis Finlandia late vastata, unde plurima litterarum monumenta omnis generis periisse certissimum arbitror.“

<sup>92)</sup> Catal. Disp. . . . continuatus, a. 1778–1819; Iterum continuatus a. 1820–55; Upsal. 1820, 1856. 8:o.

<sup>93)</sup> Cfr prot. 19.7.1647, 31.5.1648, 27.9.1654, 8.2.1663. Etiam quod consistoriam a. 19.7.1647 præterea decrevit: „dedication skal tryckias på hvart exemplar och lijka lydhande“ postea sæpe neglectum est. De dedicationibus agitur etiam in Constitt. c. 18, 4:o, § 4.

etiam personarum nominibus inscriberent: hæc observantia, quamvis verbis nonnunquam insulsissimis expressa, magno tamen historiæ cultus nostri humani civilisque, adhuc per se tam jejunæ, emolumento fuit, quippe quæ cognitionem aliquam eorum afferat, qui quondam apud nos litteris earumque cultoribus favorint maxime. Quos in albo et brevitatis causa et quia neminem hac in re prævertere volui<sup>94</sup>), non protuli nominatim, nisi rarissime; at nihilo tamen minus tacito quodam modo ex ipsis dedicationibus, quas appellamus, ad vitas studiosorum adumbrandas assumpsi permulta.

De illis autem, quæ Lidenius in præfatione catalogi sui scripsit<sup>95</sup>): „Observavi, apud nostrates plerumque respondententes ipsos auctores disputationum suarum esse, quod omnino infrequens est forsitan in aliis extra Sueciam palæstris litterariis, usu ne antiquo priscæ institutionis, an alia quacunque causa, incertum“, confiteor me dubium; nisi forte Suecia angustiore et propria notione intellegitur. In Aboensi certe academia multo frequentius præsides quam respondententes disputationum etiam auctores habendi sunt, etsi sæpe, quænam his, quæ illis, majore jure attribui debeant, vix poteris dijudicare. Quare in albo a me reconcinnato tota hæc quæstio integra relinquatur.

Orationes denique studiosorum, quarum ortum et finem modo significavi, multo magis ob dedicationum eis adjunctarum multitudinem, quam ob argumenta sua legi vel saltem inspicere dignæ sunt. Qui eos composuerunt, et quidem jussu consistorii brevitate, qua fieri potuit, summa nec sine disciplina præceptorum<sup>96</sup>), juvenes fuerunt in litteris tirones, industriæ sibi in academia laudem, apud fautores et „nutricios“<sup>97</sup>) autem benevolentiam et gratiam aucupati. Earum igitur et memoria et exemplaria citissime evanuerunt, ut ne Lidenius quidem, cui, ut ipse ait, propter raritatem visæ sunt „veluti nantes in gurgite vasto“, catalogum, quem se editurum promiserat<sup>98</sup>), ad exitum potuerit perducere.

Hæc cum ita sint, nescio quo felici casu bibliotheca universitatis nostræ sibi comparavit orationes Aboenses numero ad 140 seculo XVII typis impressas. Quæ quoniam, paucis exceptis, quanta argumenti inopia laborant, tantam nominum abundantiam præstant, earum usu neutiquam mihi supersedendum duxi.

b) Duo omnino sunt scripta vetustiora<sup>99</sup>), alterum Jo. Schefferi Suecia Literata, alterum A. Stjernmani Aboa Literata, quæ cum strictim eandem materiam, ac postea multo diligentius catalogi Lidenii, attigerint, tum cetera universaque apud majores nostros doctrinæ studia et monumenta tamquam uno in conspectu ponunt. Obsolevit tamen, curis posteriorum subtilioribus superata, Schefferiani libri pristina laus. Stjernmani contra opusculum propter exiguum eorum numerum, qui in historiam Finlandiæ litterariam inquisiverunt, aliqua usque adhuc gaudet auctoritate, præsertim cum passim et libros et scriptores enarret, de quibus ne nostra quidem ætas aut melius aut uberius exposuit.

Porro libello Stjernmani duo viri de litteris nostris meritissimi singularem præstiterunt operam. Namque eum Jac. Tengström permultis auxit additamentis, quæ interjectis in suo ipsius exemplari schedulis annotavit; quod quidem exemplar in bibliotheca universitatis

---

<sup>94</sup>) Spero enim fore, ut consilium dedicationum illarum colligendarum et edendarum, quod duobus abhinc annis iniiit Litterarum Suecarum in Finlandia Societas, ad effectum non ita multo posthac prospere adducant, qui id negotium propense susceperunt.

<sup>95</sup>) Sect. I.

<sup>96</sup>) Cfr prot. 11.9.1643: „Thee som corrigera theras orationes, skola ingaledes effterlâtha orationem vara lãngre än som I ark.“ 27.9.1648, 10.12.1651. Nec vero typis edere licuit nisi eas orationes, quæ potiores viderentur. De argumento orationum hæc habent Constitt. c. 19, § 7: „Materiam autem orationum promet (studiosus) tum ex sacris tum profanis auctoribus et historiis. Inprimis hæc exercitia ad laudem Dei, ecclesiæ ædificationem et hujus regni Regum memoriam ad posterum propagandam conferet.“

<sup>97</sup>) Ita plerumque appellabant eos, quorum in familiis liberos erudiebant, ipsi „domestici“ vocati.

<sup>98</sup>) Cfr Catal. præf. Sec. I & III.

<sup>99</sup>) Jo. Schefferi Suecia Literata, Opus postamum; Holmiæ 1680; ed. 2 Hamburgi 1698. 8:o. – A n d r . A n t o n . S t j e r n m a n i Aboa Literata; Holmiæ 1719. 4:o.

nostræ asservatur. Joh. vero Bilmark, Stjernmani viam presse secutus, codicem reliquit, jam in eadem bibliotheca custoditum, manu exaratum paginarum 240 formæ 4:æ, qui inscribitur „Aboa Literata continuata, post restaurationem academiciæ 1721“ ad a. 1771 deducta.

His præcipue ducibus nostra ætate Sv. Gabr. Elmgren in conspectu suo litterarum Finlandiæ enucleate adumbrato<sup>100)</sup> indices confecit scriptorum per ætates dispositos. Quem equidem in albo reconcinnato, brevitati serviens, satis habui vel solum vel unacum Stjernmano citare, quippe ex quo tituli singulorum librorum facillime nosci possint.

c) Scripta Magistrorum renuntiationem spectantia. Constat, jam inde a primordiis academiciæ gradum magistrorum, cui maxime juvenes erectioris animi aspirabant, cum singulari tam in litteris vitæque communi, quam in petitionibus munerum, sacerdotalium præsertim, commendatione fuisse conjunctum. Neque tamen ante fugam primam ea dignitate ornati sunt ex universis alumnis academiciæ circiter 5,200 plures quam 370. Quæ paucitas indicio est, probationem candidatorum antiquitus satis fuisse severam, quandoquidem per sequentes ætates, priorem ad a. 1817, posteriorem ad 1827, duabus summis studiosorum 7700 et 1470 superantibus magistri renuntiati sunt ad 960 et 156.

Quanti vero olim summos illos in philosophia honores fecerint, testis est ipsarum Constitutionum de „Promotionibus“ caput, testis est invitationum ad illam pompam eloquentia, testis est silva versuum et gratulationum, quibus „filios Apollinis“ salutavit amicorum et præceptorum chorus. Ne plura: ortum est peculiare litterarum genus, laudibus vel saltem commemoratione „laureatorum“ refertum<sup>101)</sup>. Quale si procreassent reliqui etiam studiis suis academicis defuncti, nobis omnem de ipsis quæstionem multo sane reddidissent planiorem!

Baccalaureorum vero memoriam revocarunt non ea solum scripta, quæ ipsorum singillatim creandorum sollempnia attingunt, sed multa etiam alia has res vel fusius vel universim complexa. Quo ex numero nominanda sunt cum tria programmata<sup>102)</sup> Kalmii, Lefrenii, Joh. Gadolinii atque oratio A. J. Lagi, quam supra sæpius attulimus, tum Aboa Literata Stjernmani cum continuatione ejus a Bilmarkio facta, de quibus modo diximus, ac denique R. Renvallii Index non ita pridem confectus<sup>103)</sup>.

Ac Stjernmanus quidem, qui hoc genus catalogorum inchoavit, singularum facultatum studiosos a. 1643–1712 promotos, multis quamvis prætermisissis, nominat. Cui succedens Bilmark accuratissime a. 1726–69 honorem magisterii adeptos eorumque dissertationes commemorat, addita passim de vitis annotatiuncula. Renvall denique, cui continuatio Bilmarkii ignota fuisse videtur, universos Aboæ a. 1643–27 numero 1485 magistrorum creatos recensens indicat simul diligenter, quo quisque ministerio postremo functus, quoque anno natus aut mortuus sit; omisit (quod meo incepto incommodè factum est) investigationem annorum, quibus singuli civitatem acceperint academicam.

d) De Albis diocesium. Est genus quoddam annalium, quod sueco vocabulo „Herdaminnen“ appellarunt. Quibus conscribendis quo majorem industriam et in Suecia et apud nos adhibuerunt ecclesiarum antistites, eo magis historiæ etiam academiarum, quatenus hæc ipsarum alumnos attingit, profuerunt. Etenim theologiam quantopere ceteris disciplinis præoptarint studiosi, vel ea re intellegi potest, quod, cum usque ad fugam priorem 370

<sup>100)</sup> Öfversigt af Finlands Litteratur. I:a 1542–1770; II: 1771–1863; Akademisk afhandling, Helsingfors 1861, 1865. 8:o.

<sup>101)</sup> Titulos horum libellorum, quorum in biblioth. univ. haud parva asservatur copia, transcribere supervacaneum duxi, cum ex iis nil fere meum in usum hauserim.

<sup>102)</sup> Promotorum Kalmii 31.7.1757, Lefrenii 19.6.1782, J. Gadolini 27.6.1805, quos in plerisque sequitur A. J. Lagi, Or. 17.6.1811 p. 65.

<sup>103)</sup> R. A. Renvall, Förteckning öfver Filosofie-Magistrar promoverade vid Universitetet i Åbo 1643–1827; med korta biografiska notiser; Helsingf. 1882. 8:o.

magistri essent creati, de iis 310 ministeria obierunt sacerdotalia, vel his finitima scholastica. Immo vero etiam sub fine ejusdem seculi inter discedentes a. 1780, post absoluta studia, ab academia 44, sacris ordinibus<sup>104)</sup> initiati sunt 26.

Quæ cum ita sint, non possumus non mirari, in notissimo *Strandbergii* de dioecesi Aboensi opere<sup>105)</sup>, longa annorum 1640–1720 serie, vix de 50 ecclesiastis memoriæ aperte prodi, eos unquam fuisse studiosos. Quos igitur si excluseris, de compluribus ceterorum centuriis veremur, ne apud multos oriantur futes sive opiniones sive dubitationes.

Num enim putare debemus, episcopos et procancellarios Aboenses, post conditam etiam academiam, sacris initiasse juvenes a studiis academicis prorsus alienos, id quod revera in Viburgensi dioecesi, propter inopiam verbi divini præconum, sæpius factum legimus? An mente fingemus, multo etiam ampliores nostrorum numerum, quam quos constat Upsaliæ litteris studuisse, hanc discendi viam ingressum, postea apud nos in ordinem clericorum ascitum? Utramque quæstionem resolvat albi nostri redintegratio, quippe ex qua, si cum opere Strandbergii conferatur, clare emergat, quam incredibilem in modum illud ex hac parte mancum putandum sit.

Retractavit quidem Strandberg opus suum, cujus exemplar, annotationibus oppletum, per litteras a. 30.10.1861 datas bibliothecæ universitatis nostræ (ubi adhuc asservatur) aut consistorio iterum, si liberet, edendum misit. In quo sicut octogenarii viri et manum et industriam admiramus, ita dolemus, eum in antiquiora tempora, quorum tamen maxime reficienda videatur expositio, tam parum denuo inquisivisse, ut ne 10 quidem ecclesiastas præter 50 illos, quos modo significavimus, ex academia profectos repererit.

Utcunque erit, non is sum, qui negem, inceptum meum opere Strandbergii probe adjutum. Nam illud, si a medio fere seculo XVIII quærere incipimus, satis diligenter in vitis sacerdotum describendis annos quoque acceptæ civitatis academicæ profert. Adde, quod multa albo idonea de superioribus etiam continet, dummodo fuisse eos studiosos, et quo tempore, ipsi simus expiscati.

Similem Strandbergii de dioecesi Aboensi historiæ, de dioecesi Viburgensi et Borgoensireliquit *Math. Akiander*<sup>106)</sup>. In qua elaboranda, quod annos se consumpsisse quadraginta præfatus dixit, spectat id manifesto simul alios duos vicini argumenti libros ab ipso conscriptos, alterum de scholis dioeceseos Viburgensis et Borgoensis, alterum de ecclesiis Ingermanniæ lutheranis.

Itaque verecundus ille vir ingentem campum nostrisque litteris antea pæne incognitum peragravit. Quod si tot hominum minoris auctoritatis ei occurrentium res adumbrans non semel erravit, nec pauca inconsideratius neglexit, plurima tamen non minus accurate disposuit, quam collegit assidue.

Quæ autem in libris ejus maxime desideramus, duo sunt: primum quod acta academica minus etiam quam Strandberg inspexit, deinde quod virorum, de quibus exposuit, in rem litterariam merita qualiacunque prorsus præterit. Ac ne ex albo quidem Viburgensium, quo tamen se usum fatetur, explicavit nisi rarissime, quinam pristinorum temporum sacerdotes aut præceptores publici prius in numerum studiosorum sint recepti. Hoc tamen concedendum est, eum de iis, qui post fugas vixerunt, præstitisse plerumque.

Fonte Akiander in multis præcipuo usus est Borgoensis gymnasii historia a *Magn. Jac. Alopæo*<sup>107)</sup> scientissime composita. Eandem equidem tanto promptiore animo

<sup>104)</sup> Cfr progr. Lefrenii a. 18.6.1780, qui addit, de ceteris 8 regiis dicasteriis adscriptos fuisse, elegerit autem 2 genus vitæ civile, 1 militare, 1 cambiale, 1 geodeticum, 1 scholasticum, 4 denique genus vitæ nondum definiisse.

<sup>105)</sup> Åbo Stifts Herdaminne. I. II; Åbo 1832, 1834. 4:o.

<sup>106)</sup> Herdaminne för fordna Wiborgs och nuvarande Borgå Stift. I. II; Helsingfors 1868, 1869. 8:o. – Skolverket inom fordna Wiborgs och nuvarande Borgå Stift; H:fors 1866. 8:o. – Bidrag till kännedom om Evangelisk-lutherska Församlingarne i Ingermanlands Stift; H:fors 1865. 8:o.

<sup>107)</sup> Borgå Gymnasii Historia. Häft. 1–5; Åbo 1804–1817. 4:o.

pervolutavi, quod et studia academica atque litterata sæpissime attingit, et ipsum album studiosorum eo tempore superstitem, postea deperditum, passim sequitur ducem.

Sequitur ut ea denique scripta breviter perstringam, quibus Sueci res suas ecclesiasticas illustraverunt. Etenim ex multitudine eorum, qui Suecia oriundi in academia Aboensi operam dederunt litteris, longe plurimi, post absoluta studia, in patriam reversi, muneribus ibi publicis, clericalibus præsertim, sese dicarunt. At Sueciæ dioeceses ut numero paucitatem nostrarum multum superant, ita multo etiam plures historiæ suæ auctores nacti sunt.

Nam, vetustioribus omissis, ut eos solos afferam, quos maxime consului, illo in argumento versati sunt<sup>108)</sup> Aurelius, Biberg, Cavallin, Fant, Follén, Hammarin, Hülphers, Håhl, Lemke, Låstbom, Löfgren, Muncktell, Rogberg, Skarstedt, Warholm, Wieselgren. Qui cum in ministris dioecesium enumerandis viam illam a nostris, ut vidimus, sæpius neglectam constanter observarint, ut, præter alia, accessum cujusvis ad academiam indicarent, ea re haud minimum momentum albo nostro redintegrandi adjecerunt. Quid quod his demum auctoribus nonnulli<sup>109)</sup> quondam Aboæ studiorum cursum vel auspiciati vel exsecuti, natione Sueci, nobis innotuerunt.

e) Alumni pristini academiæ, si magistros tantum et clericos, de quibus modo diximus, excipias, quibusnam officii publici partibus se dederint, difficile sæpe exploratu est, prætermissa præsertim haud raro de ea re in actis ipsius academiæ mentione. Absunt enim propemodum litteris nostris universorum tum magistratuum tum imperiorum per longiora spatia deducti indices. Cui generi, quod sciam, ex scriptis ante fugam priorem vel non multo post confectis vix assignari possunt, nisi Joh. Flachsenii<sup>110)</sup> ad Chronologiam ejus sacram appendix brevissimus et fasti A. J. v. Heneli<sup>111)</sup>, nominum quidem plenissimi, sed ad perpaucos annos restricti.

Quodsi singula munera ordinesve spectamus, non de multis eorum libri singillatim scripti feruntur. Maxima certe cura res exposuerunt ademiæ, Aboensis Joh. Jac. Tengström<sup>112)</sup>, ac Dorpato-Pernaviensis Gust. Sommelius<sup>113)</sup>, artiumque medicæ et

---

<sup>108)</sup> N. Aurelius, Strengnäs Stifts Herdaminne (Södermanland); Sth. 1785. 8:o, Jac. Fr. Biberg, Hernösands Stifts Hist. o. Herdam. 1–3; Hernösand 1876–79. – S. Cavallin, Lunds Stifts Herdam. 1–5; Lund 1854–58. – Jos. Er. Fant et Aug. Th. Låstbom, Upsala Årkestifts Herdam. 1–3; Ups. 1842–45. – J. E. Follén, Nerikes Herdam.; Strengn. 1817. – Joh. Hammarin, Carlstads Stifts Herdam. 1–3; Carlst. 1846–49. – Abr. Hülphers, Beskr. öfver Norrland (6 Samlingar); Vesterås 1771–93. – Joh. Is. Håhl, Linköpings Stifts Herdam. 1–3; Norrk. 1846, 47 (cum Indice quem manu sua scripsit J. O. Wedberg). – O. W. Lemke, Visby Stifts Herdam.; Örebro 1868. – Låstbom vide Fant. – N. J. Löfgren, Tjenstemän vid Församlingarne o. Läroverken uti Kalmar Stift. 1–3; Kalmar 1836–41. 4:o. – J. Fr. Muncktell, Vesterås Stifts Herdam. 1–3; Ups. 1843–46. – Sam. Rogberg, Hist. Beskr. om Småland; Carlscrona 1770. – Skarstedt, Göteborgs Herdam.; Göteb. 1878–85. – Joh. W. Warholm, Skara Stifts Herdam. 1, 2; Mariestad 1871, 74. – P. Wieselgren, Ny Smålands Beskr. (Wexiö Stift). 1–3; Wexiö 1844, 46.

<sup>109)</sup> Ut Torbernus Svenonis Forsman et Ezech. Milander (in rectoratu I), Er. Haqvini Undenius (rect. II), Gunnarus Jonæ Aschebergius et Petr. Thorstani Kjellander, (rect. III), Er. Nicolai Collinus (rect. XIV), Andr. Åman (rect. XVIII), – hi omnes ex Hammarin; Sam. Unonis Troilius (rect. II) – ex Muncktell; cett.

<sup>110)</sup> Chronologia sacra; Aboæ 1692. 8:o. Ejus Appendix, a. demum 1696 impressus, libellus est longe rarissimus; de quo cfr V. G. Lagus, Åbo Hofr. Hist. p. XII.

<sup>111)</sup> Det Anno MDCCXXIX florerande Sverige; Leipzig (1730). 4:o. – Det Anno MDCCXXXV florerande Sverige; Sth. (1736). 4:o.

<sup>112)</sup> Chronol. Förteckningar och Anteckningar öfver F. Univ:s forna Procancellorer samt öfver Faculteternas Medlemmar och Adjuncter, från Univ:s stiftelse inemot dess andra sekularår; H:fors 1836. 8:o.

<sup>113)</sup> Reg. Acad. Dorpato-Pernaviensis Historia. Lunda 1790–96. 4:o. – Ejustdem Hist. Acad. Lundensis a. 1757–63 edita, qua opus ab J. J. v. Döbeln a. 1738–42 confectum continuavit, nil nostro proposito attulit adjumenti.

pharmaceuticæ Joh. Fr. Sacklén<sup>114</sup>), dicasteriorum denique Gothici-Junecopensis Joh. Odencrants<sup>115</sup>) atque Aboensis V. G. Lagus<sup>116</sup>). Accedit, quod P. Joh. Törnqvist de territoriis Finlandiæ judicialibus eorumque ministris, iudicibus, quos vocarunt, territorialibus, commentarios fecit satis accuratos<sup>117</sup>), qui manu ipsius exarati jam pridem in bibliotheca universitatis nostræ servantur. At quot in civitate ejusque provinciis et oppidis aut sunt aut fuerunt collegia officiaque civilia, judicialia, administrativa, oeconomica, geometrica, alia, quorum fasti antiqui etiam nunc jaceant?

Nec militarium munerum annales, aliquanto plenius per se elaboratos, adhuc ediderunt earum rerum periti. Quod nostro etiam albo perincommode accidit. Illa enim munera licet a studiis doctrinæ alienissima sint, nullo tamen tempore academiae prorsus defuerunt alumni, qui nomina dederint militiæ. Quorum qui nobili genere nati fuerunt, nullo negotio illi quidem noscuntur vel ex matriculis, quas confecerunt cum alii tum nostra setate Gabr. Anrep<sup>118</sup>) et O. Wasastjerna<sup>119</sup>). Quam plurimos præterea laudat B. A. Ennes<sup>120</sup>) in libro, quo maxima pietate bellatores Caroli XII recenset. Ceterorum<sup>121</sup>) vero omnium, obscuriorum præsertim, fata et facta plerumque non poteris rimari, nisi fortuita quodammodo lectione. Atqui ex coetu studiosorum quoque egressum haud ita parvum numerum eorum, qui pro patria, bellis perpetuis vexata, pugnarint atque adeo vitam profuderint, quis est, qui dubitet?

Vides igitur, quam mancum sit atque inchoatum totum id scripturæ genus, quod hic perstrinximus. Quocirca, ut nunc se habet, sæpissime nihil aut certe parum ad ea, quæ de vitis studiosorum alibi, maxime vero in matriculis nationalibus, adumbrata reperiuntur supplenda confert.

**VI. De novo Studiosorum Albo** parando primus ad consistorium retulit a. 14.11.1817 Joh. Fr. Wallenius<sup>122</sup>). Vetustiorum nimirum matriculam, jam inde a condita academia tritam, adeo esse nominibus completam, ut per tres superiores rectoratus nulli in ea inscribi potuerint. His igitur locum vindicari oportere chartis ad eam rem sufficiens in volumine infixis.

Sententiam Wallenii comprobarunt consistoriales, excepto quod ad tempus incipiendi libri pertineret<sup>123</sup>). Inauguratis enim nuper die 30 proximi m. Oct. sollenniter novis academiae ædibus, ab eodem die pro albo vetere novum esse substituendum censuerunt.

Rector mandata sibi a consistorio ut perficeret, sine mora et novum album confici et vetus additis chartis denuo compingi jussit. Decem post annis ex incendio urbis, quo hoc

---

<sup>114</sup>) Sveriges Läkare Historia. Afd. 1. 2; Nyköp. 1822, 23. 8:o. Suppl. Ib. 1835. – Sveriges Apothekare-Historia; Ib. 1833. 8:o.

<sup>115</sup>) Kongl. Götha Hofrätts Presidenter, Ledamöter och Betjäning; Linköping 1803. 8:o.

<sup>116</sup>) Åbo Hofrätts Historia; H:fors 1834. 8:o.

<sup>117</sup>) Uppgift å Häradsrätter . . . och Häradshöfdingar, 1623–1862. Fol. pp. 230; in quo antiquiora præcipue ex Calonii collectaneis sumpsit. Quod perhibent (cfr G. A. Spåre, Biogr. Antt. in indice auctorum), C. W. Spåre dicasterii Aboensis matriculæ exemplum inde ab a. 1623 manu sua exarasse, in dubio pono, propterea quod, quantum scio, non exetat ipsum archetypum, nisi ab a. demum 1750 inceptam.

<sup>118</sup>) Svenska Adeln's Ättartaflor. I–IV; Sth. 1858–64. 8:o.

<sup>119</sup>) Ättar-Taflor öfver den på Finlands Riddarhus introducerade Adeln. I, II; Borgå 1879, 80. 8:o. Suppl. Ib. 1883. 8:o.

<sup>120</sup>) Biogr. Minnen af Kon. Carl XII:s Krigare. I, II; Sth. 1818, 19. 8:o.

<sup>121</sup>) Indicem, quem sua manu scripsit Joh. Pet. Winter de præfectis militum exercitus Finlandensis a. 1800–34, adhuc non inspexi. Nec multa, ut id simul significem, in amplissima annotationum ejusdem viri genealogicarum copia incepto meo utilia reperi. Plus mihi Genealogia Sursilliana ab E. R. Alcenio a. 1850 edita profuit

<sup>122</sup>) Cfr prot. 14.11.1817 § 7.

<sup>123</sup>) Prot. allat.: . . . „angående den tid från hvilken införandet af inskrifne studerande i den blifvande Nya Matrikeln borde beräknas, hvilket C:m ansåg lämpligare ske på det sätt, att nu varande Rector i den gamla Matrikeln inför alla äfven under detta Rectorat, intill d. 30 nästlidne October eller Academiens Inauguration, inskrifne studerande, ifran hvilken tid den nya Matrikeln sedermera tager sin början. – I öfrigt anmodades Hr Rector att om den gamla Matrikelns ombindning samt anskaffande af den nya låta besörja.“

interiit, illud ea re servatum, quod tum casu domi tenebatur decedentis rectoris Gust Gadolini<sup>124</sup>), etiamnunc superest. Volumine constat formæ amplissimæ, coriario tegumento munito.

In supplemento autem veteris albi, rectoratus integros tres, Pippingsköldii, Wallenii, Snellmani, partemque priorem Myreenii complexo, teste tabula Lecheana, omnino inscripti sunt studiosi 333. Neque tamen Snellman et Myrén a se inscriptos numero 134 in indicem retulerunt<sup>125</sup>); quo factum est, ut horum omnium nomina aliunde, ex matriculis potissimum nationum singularum, conquirere necesse habeamus.

Jam vero album illud novum, quatenus nostrum argumentum attingit, ut legentibus quasi uno in conspectu proferatur, tabulam descripsi, Lecheanæ applicatam, hancce:

### Rectores academïæ Aboensis a. 1817–27.

Anno.	Rectorum nomina et munera. . . . .	Inscripti.		
Rectoratus.		Rector.	Pagina.	
1817	<b>169.</b> Daniel Myrén, Juris et Oecon. Prof. . . . .	1	168	1
1818	<b>170.</b> And. Joh. Lagus, ss. Th. D. Log. et Metaph. Prof. . . . .	1	77	25
1819	<b>171.</b> Er. Gabr. Melartin, Theol. Prof. . . . .	1	102	35
1820	<b>172.</b> Joh. Bonsdorff, Gr. Litt. Prof. . . . .	1	83	51
1821	<b>173.</b> H. Henr. Fattenborg, LL Orient. Prof. . . . .	1	189	62
1822	<b>174.</b> Joh. Henr. Avellan, Hist. Prof. . . . .	1	143	77
1823	<b>175.</b> Fr. Vilh. Pipping, Hist. Litt. Prof. et Biblioth. . . . .	1	147	97
1824	<b>176.</b> Car. Reginald. Sahlberg, Hist. Nat. et Oecon. Prof. . . . .	1	132	125
1825	<b>177.</b> Fr. Bergbom, Phil. Theor. Prof. . . . .	1	162	149
1826	<b>178.</b> Gust. Gadolin, Theol. Doct. et Prof. . . . .	4	143	174
1827	<b>179.</b> Gust. Gabr. Hällström, Th. D. Phys. Prof. – <b>Aboæ</b> . . . . .	3	127	194
(1828)	<b>180.</b> Daniel Myrén, Juris et Oecon. Prof. – <b>Helsingforsia</b> . . . . .	2	64	209)

28/8

Itaque hoc in albo, quamdiu academia Aboæ mansit, studiosi allati sunt 1473. Leguntur præterea nominibus appositæ narratiunculæ de singulorum vitis breves, ad nostrum tamen usum satis idoneæ.

Idem deinde album Helsingforsia quoque diu, et quidem usuque ad a. 1865, usurparunt continuaruntque rectores „Universitatis Alexandræ“, sicut post migrationem a. 1828 appellari coepta est academia quondam Aboensis.

<sup>124</sup>) Sicut ex prot. 9.9.1828 § 6 patet, Gadolin etiamtum matriculam, ut in eam nomina referret eorum, qui ipso rectore (1826–27) studiosi facti erant, Aboæ domi apud se tenuit. At non multo post Helsingforsiam transvecta est; cfr prot. 4.10.1828 § 2.

<sup>125</sup>) Cfr notatum 19, p. X.